DE MANUMISSIONUM TITULIS APUD THESSALOS

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

TRADIDIT

GUALTERUS RENSCH
MEGALOPOLITANUS

HALIS SAXONUM
FORMIS DESCRIPSIT EHRHARDT KARRAS
MCMVIII

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit
Otto Kern.

Ex Diss. Hal. XVIII, 2 seorsum editum.

OTTONI KERN

SACRUM

Index opusculi.

Cum de manumissionis institutis apud Thessalos scriptores Graeci nihil memoriae tradiderint, longum tempus hi ritus in tenebris iacebant. Haec inopia tum demum repleta est, cum in Thessalia tituli ad manumissiones pertinentes inventi essent. Sed primo horum argumenta nequaquam cognita sunt. Ernestus Curtius[1]) vir immortalis memoriae primus in titulis Delphicis edendis nonnullas Thessalorum inscriptiones explanavit. Paulatim numerus harum inscriptionum aucta est; qua de re potissimum H. G. Lolling bene meritus est. Praeterea nonnulli Francogalli titulos huiusmodi in lucem ediderunt. Titulis ita auctis A. B. Drachmann[2]) Danorum vir doctissimus manumissiones civitatum graecarum interpretari conatus est. Denique tres Francogalli Th. Reinach, R. Dareste, B. Haussoullier[3]) titulos Thessalicos memorabiles in collectione inscriptionum de Graecorum re iudiciali componere instituerunt atque hic illic additamenta critica et exegetica addiderunt. Sed dum tituli Thessalici in unum corpus non sunt collecti, fieri non potuit, ut eorum argumenta intus cognoscerentur.

Quod difficillimum negotium O. Kern suscepit atque perfecit. A quo viro doctissimo praeceptore meo commotus titulos manumissionum intellegere studui passim ectypis usus.

---

[1]) Anecdota Delphica, Berolini 1843.
[2]) Nordisk Tidskrift for Filologi VIII (1887).
[3]) Rec. des inscr. jur. gr. II 3, Paris 1904.

Caput I.

De instrumentorum formis atque formulis.

Manumissionum instrumenta apud Thessalos duplicem praebent formam; altera ita composita est, ut magistratus indicem proferat illorum libertorum, qui cum ille munere fungitur libertate donati sunt. Cum enim urbi vectigal publicum manumissus absolvere lege cogeretur, magistratum has rationes tempore muneris exacto civibus reddere oportebat, quae in lapidibus exaratae in lucem edebantur. Hi indices *ἀναγραφαί* sive *ὀνοματισμοί* usitato more nominabantur, quae nomina eo declarari possunt, quod magistratus manumissos inscribebant in tabulas.[1]) Crebro tam accurate conficiebantur, ut praeter annum mensis et dies manumissionis significarentur. Similes inscriptiones etiam in insula Thera[2]) inventae sunt, quae ita incipiunt: *[Ἐπ]ὶ ἐφόρων [Ἀρισ]τομάχου καὶ . . . ωνος καὶ* (nomen erasum) *[Θρα]συλέοντος καὶ [ἱερ]ομνάμονος . . . δάμου τοῦ [Τελ]εσικρ[ά]τε[υ]ς, κα[τὰ δὲ ὑ]οθεσία[ν] Τιμονίκο[υ οἵδε] ἀπηλευθέρωσα[ν] τὸς αὑτῶν οἰκέτας [Καρν]είοις ἐν τῶι ἀγῶ[νι].*

Altera forma plane diversae speciei quasi de una tantum manumissione agit; quod ad demonstrandum titulum n. 325 b affero: *Ἐπίκτητος ὁ ἀπελευθερωθεὶς ξενικῇ ὑπὸ Δικεοπόλεως ἔδωκεν τῆι πόλει (δηνάρια) κβ<′ ταμίᾳ Φλαβίῳ Ἀμβιλόγῳ Ἐπαγάθου μ(ηνὸς) Ἑρμαίου λο[ι(πῶν)] ζ′.*[3])

---

[1]) Hoc interdum in titulis commemoratur cf. n. 546: *ὁ γεγονὼς ταμίας τῆς πόλεως ἀνέγραψεν τοὺς φαμένους ἀπηλευθερῶσθαι* et n. 74: *τοὺς δὲ ὁ ταμίας ἀνέγραψεν.*

[2]) IG. XII 3, 336. 337; suppl. 1302. 1303.

[3]) Ita explicamus quod in ectypo lectum est: ΛΘZ, qui mos dies significandi exemplis non caret cf. n. 359 b, c. 563. 1282; qua ex re in tituli 256 b versu primo *[λ]οι[π]ῶν δύο τ[αμιεύ]οντος κτλ.* emendamus.

Qua forma Boeoti Locri Phocii uti solebant.[1])

Praeterea tituli ita exarati sunt, ut singulae manumissiones quinque, decem aut plus annorum colligantur. Quae cum ita sint, libertos ipsos has manumissiones insculpendas curavisse negandum est. Ultro vectigal publicum commemoratur, quod *στηλογραφίας* causa omnibus libertis nullo excepto solvendum est atque urbi soli commodo est.

Novum discrimen accedit: index omnes manumissiones unius anni continet ita ut nulla per se edatur. Altera autem forma aliter se habet: omnes manumissiones eiusdem anni in singulis titulis ita leguntur ut indicem quasi per partes explicent. Quod testantur n. 1299 et 1300, ubi tres diversae sed plenae manumissiones eiusdem quaestoris inveniuntur, e quibus una in altero lapide extat. Itaque fit ut in n. 206 et 207 utraque ratio libertos edendi mixta sit, unde intellegimus modo hanc modo illam formam in usu fuisse.

Iam supra diximus magistratus quosdam urbis tabulas conficiendas curavisse atque ex his accuratius discimus qui magistratus hoc munere functi sint. Usitato more quaestor urbis (*ὁ ταμίας τῆς πόλεως*) hoc negotium exercebat, interdum etiam *ὁ ταγὸς τῆς πόλεως*. Hypatae autem aetate imperatorum Romanorum singulare munus institutum est, cui *ὁ ἐπιμελητὴς τῶν ἀπελευθερικῶν χρημάτων* praeerat. Nimirum hi magistratus scribas *ἐν ἀρχείῳ* sedentes habebant, qui omnes servos libertate affectos in tabulas publicas inscribere solebant, quae postea lapidibus edicebantur. Illi scribae etiamsi in titulis Thessalicis nusquam commemorantur, tamen ex Delphicis accuratius cognoscuntur; veluti in quodam[2]) haec leguntur: *τίθεμαι τῆς ὠνῆς τὸ ἀντίγραφον διὰ τοῦ γραμματέως τοῦ τῆς πόλεως ἐν τὰ δημόσια τῆς πόλεως γράμματα*; alicubi acta publica *δημόσιον τεῦχος* nominantur. Apud Thessalos horum scribarum negotia accurate inspicere nobis licet. Veluti in tit. 21 v. 16 haec leguntur: *Λύκος καὶ Ἀνθέμ[ιον] ἀπὸ Ἀσκληπιάδου*; qui Asclepiades eodem tempore tertium servum manumiserat quod n. 22 testatur: *Ζωΐλος Παραμόνου ὁ γεγονὼς*

---

[1]) Cf. IG. VII et IG. IX 1.

[2]) Cf. Bull. Hell. XXII (1898) 106.

ἐπιμελετὴς τῶν ἀπελευθερικῶν χρημάτων προσαναφέρω καὶ Ἀλέξανδρον ξενικῆι δεδωκότα μοι τὰ τῆς στηλογραφίας (δηνάρια) κβ<'! Scribae enim huius liberti obliti postea hoc additamentum faciendum curaverunt. In alium errorem lapsus est ille, qui n. 109 a composuit, ubi haec leguntur

in v. 53: *μηνὸς Ὁμολωΐου τριακάδι,*
in v. 57: *Ὁμολωΐου ια'.*

Trigesimum igitur diem per errorem sequitur undecimus dies eiusdem mensis.

Priusquam in titulorum formas inquiram, duo tituli commemorandi sunt, in quibus aliquid ambiguitatis haeret. Hypatae enim extat haec inscriptio (17): *Παρὰ Νεικολάου (τοῦ) Νει[κ]ολάου τοῦ καὶ Λου[κίου] το[ῦ] ἐπιμελητοῦ τῶν ἀπελευθερικῶν χρημάτων ἀναγραφὴ τῶν δεδωκότων εἰς τὴν πόλιν τὰ γεινόμενα αὐτοῖς εἰς τὴν στήλην στρατηγοῦντος Ἑλλανοκράτους.* Ita catalogi libertorum incipiunt, sed hi ipsi hoc loco deesse videntur.

Similem imaginem praebet hic titulus Larisaeus n. 549: *Φρυνίχου τοῦ Δικαιογένους ταμιεύοντος τῆς πόλεως τὴν πρώτην ἑξάμηνον τὴν ἐπὶ στρα(τη)γοῦ Δημοθέρσου, ταγευόντων δὲ Εὐβιότου τοῦ Εὐκό[λ]ου, καθ' υἱοποιίαν δὲ Κλε[ά]ρχου τοῦ Ἡγησαρέτου, Νικάνδρου τοῦ Ἀντιγόνου, Ἁρμοξένου τοῦ Δαμοίτου, Ἀντιγόνου τοῦ Κλεαρέτου, Θεοφίλου [το]ῦ Θειμασιθέου οἱ φάμενοι ἀ[πηλευ]θερῶσθαι καὶ δεδωκό[τες τῆι πό]λει τὰ γεινόμενα [τῆς ἀπελευθ]ερώσεως*[1]) *δεινά[ρια κβ<' · . . . . .] ΡΠΑΙΚΟΝ.*[2]) Certum est etiam in hoc titulo illos indices desiderari; lapis enim in fine vacat. Quae si ita sunt, in eam suspicionem deferimur quod uterque titulus non ad finem perductus est in his lapidibus. Cur hoc factum sit, haud facile est intellectu, sed verisimile est libertorum nomina in novis lapidibus, qui infra positi erant, insculpta esse.

---

[1]) Hoc supplementum lacuna decem litterarum ceterisque huius generis exemplis (541, 9; 1042, 6; 1269, 4) probatur. Itaque verbum *ὑπὲρ* a Kernio non recte additum est.

[2]) Sinistra lapidis parte in fine fracta extremae litterae quid sibi velint, me fugit.

Iam exponam, quomodo formulae in utraque titulorum forma se habeant. Ac primum quidem de tabularum formulis agam. Cum multi tituli initio mutili sint atque initio ipso magnum discrimen intersit inter indices, difficile est dictu, cui parti illi tituli addantur, unde saepius fit, ut hos indices omittamus nisi certa interpretatione assequemur, quid initio lectum sit.

Altera tabularum pars ita ficta est, ut verba *ἀναγραφή* aut *ὀνοματισμός* initio appareant, quibus tituli indices significantur. Hi igitur quasi proprii indices existimari possunt. Hypatae oratione mutata diversi magistratus apparent. *Ὁ ἐπιμελητὴς* enim *τῶν ἀπελευθερικῶν χρημάτων* indices faciendos curat, veluti in n. 19:[1]) *παρὰ τοῦ δεῖνος τ]οῦ ἐπιμελητοῦ τῶν ἀπελευθερικῶν [χρημάτων ἀναγραφὴ τῶν ἐπ' α]ὐτῷ ἀπελευθέρων τὸ τῆς στηλογρα[φίας ἀργύριον στρ(ατηγοῦντος)] τοῦ δεῖνος.*

Alteram formam quaestor urbis Hypatae incidi iubet. Exemplo sit n. 12: *ταμιευόντων* [. . . *ἐπὶ*] *στρατηγοῦ τοῦ δεῖνος* [*οἱ ἀπελεύθεροι ἔδωκαν τὸ γινόμε*]*νον κατὰ τὸν νό*[*μον*].[2]) Aetate hae formulae antiquiores esse videntur, cum ille magistratus postea institutus sit atque praetores ad aetatem imperatorum spectent.[3])

Tituli Larisaei idem fere discrimen prae se ferunt. Profecto multi ita mutilati sunt, ut nihil certi enucleari possit (550. 554. 555. 561—566). E. g. n. 547[4]) spectamus: *παρὰ τοῦ δεῖνος τοῦ ταμίου τῆς πόλεως τὴν β' ἑξάμηνον ἐν στρατηγῷ τῷ δεῖνι ἀναγραφὴ ἀπελ(ευθέρων) τῶν δεδωκότων τοὺς στατῆρας τῇ πόλει.*

---

[1]) Cf. n. 17. 21. 23.

[2]) Cf. no. 13. 14. 18. 25.

[3]) Cf. Kroog De foederis Thessalorum praetoribus, Diss. Halenses XVIII 1, p. 52 sqq.

[4]) Cf. n. 538. 1344; in tituli 557 versu quinto haud dubie verbum *ἀναγραφή* exspectatur. In versu sexto melius verbum *ἀπελευθέρ*[*ων*] suppleas, si titulos huiusmodi (539. 463) inspexeris. Etiamsi titulus 559 plane mutilus est initio, tamen ex formula manumissionis (*παρὰ τοῦ δεῖνος τοῦ φαμένου ἀπηλευθερῶσθαι ὑπὸ τοῦ δεῖνος*) concludimus, titulum similiter orsum esse; praeterea idem genus litteraturae atque in 539 invenitur, manumissionis autem formula his verbis composita est: *ὁ δεῖνα ὁ φάμενος ἀπηλευθερῶσθαι ἀπὸ τοῦ δεῖνος.*

Praeter verbum *ἀναγραφή* occurrit *ὁ ὀνοματισμός*[1]) in duobus titulis Larisaeis n. 542 et n. 560. Eadem vox invenitur in n. 1115; sed difficile est cognitu, quomodo formulae compositae sint; tam mutilus est hic titulus.

Altero modo compositi sunt n. 463. 539.[2]) 540. 544. 548. 568.

Singularitate quadam ornata est n. 546, quae hanc orationem prae se fert: *Πειθαγόρας Μεγαλοκλέ[ους] ὁ γεγονὼς ταμίας τῆς πόλε[ως] τὴν δευτέραν ἑξάμηνον ἐν στρ(ατηγῷ) Κοκηί[ῳ] Λύκῳ ἔτους ει' αὐτοκράτορος Καίσαρος Τραιανοῦ Ἁδριανοῦ Σεβαστοῦ ἀνέγραψεν τοὺς φαμένους ἀπηλευθερῶσθαι ἐν τῷ τῆς ταμείας αὐτοῦ χρόνῳ, οἵτινες ἔδ[ω]καν τοὺς γεινομένους τῇ πόλει στατῆρας.* Simile aliquid habet solus titulus Lamiensis 74 (75. 76): *στρατηγοῦντος τοῦ δεῖνος [τ]οὺ[ς δὲ ὁ τα]μίας . . . ἀνέ[γ]ρ[αψε . . .]*

In volgare spectant formulae aliarum urbium veluti Lamiae n. 71: *στρατηγοῦντος τοῦ δεῖνος ταμιεύοντος τοῦ δεῖνος ἀπελεύθερο[ι] δεδωκότ[ε]ς [ἐ]ν [τὰ]ν στά[λ]αν*[3]) *τοὺς δεκαπέντε στατῆρας.* Meliteae hoc dicendi genus nobis occurrit 206 I a: *στρατηγοῦντος τοῦ δεῖνος ταμιεύοντος τοῦ δεῖνος οἱ ἀπηλευθερωμένοι καὶ δεδωκότες τὸ γινόμενον ἐκ τοῦ νόμου.* Similiter ceteri huius urbis indices formati sunt, interdum verbo *τᾶι πόλει* ornati (206 II b. 207 a, d, f, k). Simpliciores formulas praebent Metropolitani n. 274 et 277.[4])

Neque aliena oratione exorsi esse videntur tituli 278 et 279, cum in ceteris eodem modo compositi sint atque manumissor *Ἀνδράγαθος Ὀλυμπιάδου* idem videatur esse atque *ὁ ταμίας* tituli prioris.

Gomphis et simpliciores et pleniores formulae inveniuntur (n. 287 a, b, c. 288).

---

[1]) De hac voce cf. p. 87 sq.

[2]) Similiter orsi esse videntur tituli 553 et 558, cum eadem fere formula inveniatur (*ὁ δεῖνα ὁ φάμενος ἀπηλευθερῶσθαι ἀπὸ τοῦ δεῖνος*).

[3]) Propter exiguam lacunam hoc verbum supplere melius videtur esse.

[4]) In huius tituli versu 12 *ταμία [δ]ὲ ⟨δ⟩ Εὐηθίδου* emendari potest.

Titulus 133 hanc orationem praebet: *στρατηγοῦντος τοῦ δεῖνος ταμιεύοντος τοῦ δεῖνος οἱ ἀπελευθε[ρωθέντες κατ]ὰ τὸν νόμον.* Atque in idem fere cadit Perrhaeborum titulus n. 1295, ubi leguntur:

ταμιεύοντος Λυσιμάχου τοῦ [Παν]αχαίου
τὸν ἐνιαυτὸν στρατη[γ]οῦντος Κεφάλου μηνὸς
Ἀφρίου οἱ ἀπελευθερωθέντες ἐπ' αὐτοῦ.[1])

Denique de titulis Hali repertis uberius agendum est.

Scribae prioris quaestoris titulum 109 a hoc modo formaverunt: *[σ]τραταγέοντος Πτολεμαίου τοῦ Θε[μι]στογένεος Γυρτωνίου, ταμιεύοντος τὰν πρώταν ἑξάμηνον Εὐαινέτου τοῦ Ἡρακλεοδώρου ἀναγραφὰ τῶν δεδωκότων τᾶι πόλει ἀπελευθέρων τὸ γινόμενον τᾶι πόλει.* Atque eae formulae, quae apud singulos libertos extant, ita compositae sunt: *Παρὰ τοῦ δεῖνος τοῦ ἀπελευθερωθέντος ἀπὸ τοῦ δεῖνος τὸ ἐκ τοῦ νόμου στατῆρας δεκαπέντε.* Haec res mutatur, cum novus quaestor munus inierit; iam haec formulae leguntur: *ταμιεύοντος τὰν δευτέραν ἑξάμηνον Νικοκράτεος τοῦ Τιμασιθέου οἱ ἀπελευθερωθέντες· ὁ δεῖνα ἀπὸ τοῦ δεῖνος ἔδωκε τὸ ἐκ τοῦ νόμου στατῆρας δεκαπέντε.* Sed bis illae priores formulae recurrunt. Postea autem sequenti anno hae novae formulae constanter sunt adhibitae: *στραταγέοντος Ἰταλοῦ τοῦ Φιλίσκου Γυρτωνίου, ταμιεύοντος δὲ ὅλον τὸν ἐνιαυτὸν Σωσιστράτου τοῦ Ἀντιγένεος οἱ ἀπελευθερωθέντες κατὰ τὸν νόμον· ὁ δεῖνα ἀπελευθερωθεὶς ἀπὸ τοῦ δεῖνος ἔδωκε τᾶι πόλει τὸ ἐκ τοῦ νόμου στατῆρας δεκαπέντε.* Quae si ita sunt, hic titulus docet cum magistratus mutentur, etiam formulas variare.

Alter huius urbis titulus, cuius altera pars in anteriore, altera in dextro latere legitur (110 a et b), emendando ita sanatur, ut initium plenum fiat. Cum vectigal publicum (*[δεκαπέν]τε στα[τῆρας]*) in versu secundo proferatur, dubium non est, quin verbum *δεδωκότες* exspectetur. Praeterea si titulum n. 109 inspexeris, in prioribus versibus praetorem et quaestorem legi posse non negabis. Huc accedit, quod in his

[1]) Phalannae quoque titulus n. 1232 indicem praebet; sed initium deest.

versibus dictum est hunc indicem catalogum libertorum (ἀπελευθέρων) esse. Quibus perpensitatis titulus hoc fere modo explicari potest: [στρατηγοῦντος τοῦ δεῖνος, ταμιεύοντος τοῦ δεῖνος] [οἱ δὲ ἀπελεύθεροι καὶ δεκαπέν]τε στα[τῆρας δεδωκότες τῆι πόλει] κατὰ τὸν [νόμον· mensis]. Cum in versu quarto reliquiae ἀπε legantur, concludimus formulam manumissionis passim ita formatam esse: ὁ δεῖνα ἀπελευθερωθεὶς ἀπὸ τοῦ δεῖνος.

Cum in harum tabularum initiis omnia et ad manumissionem et ad vectigal publicum pertinentia commemorata sint, per se verisimile esse videtur servos atque manumissores simplici formula induci, quod profecto ita se habet. Iam in antiquissimis indicibus haec formula obvenit: ὁ δεῖνα ἀπὸ τοῦ δεῖνος (cf. 414 a et b), quae verbo ἀπελευθερῶσθαι augetur ita ut excedat ὁ δεῖνα ἀπελευθερωθεὶς ἀπὸ sive ὑπὸ τοῦ δεῖνος aut similiter. Interdum vectigal publicum additur post manumissionis formulam, veluti in titulo n. 206 I a verba τὸ γινόμενον στατῆρας ιε΄ adiciuntur. Idem accidit in nonnullis Larisaeis:

539 ὁ δεῖνα ὁ φάμενος ἀπηλευθερῶσθαι ὑπὸ τοῦ δεῖνος τοὺς γινομένους τῇ πόλει στατῆρας ιε΄.

553 ὁ δεῖνα ὁ φάμενος ἀπειλευθερώσθειν ἀπὸ τοῦ δεῖνος τὸς γινόμενος τᾷ πόλι κὰτ τὸν νόμον ἀργυρίοι στατεῖρας δεκαπέντε.

Alicubi additur sola pecunia.[1])

Plena oratio in indice Pyrasi n. 133 invenitur: ὁ δεῖνα ἀπελευθερωθεὶς ἀπὸ τοῦ δεῖνος ἔδωκε τᾶι πόλει τὸ ἐκ τοῦ νόμου στατῆρας ιέ.

Iam ex hoc titulo elucet, quomodo index et singulae manumissiones quasi inter se coniuncti sint, quod titulo n. 104 confirmatur:

Στραταγέοντος Πτολεμαίου
τοῦ [Θεμιστογένεος ὁ δεῖνα ἀπελευθερω-]
[θεὶς ὑπὸ] Εὐαινέτου τοῦ Ἀντιγένεος ἔδω-
κε τᾶι πόλει τὸ ὑπὸ τοῦ νόμου τίμημα
[στατ(ῆρας] ιε΄] Δικαινέτα⟨ς⟩ Σωσιβίου ἀπελευ-
θε[ρωθεῖσα ὑπὸ Σω]σιβίου τοῦ Στρά-

---

[1]) 560. 561. 563. 565. 566.

τωνος ἔδ[ωκε τᾶι πόλει τὸ γενόμενον]
τὸ ὑπὸ τοῦ νόμου τίμημα [στατ(ῆρας) ιε΄]
Παρμενία Θρασ[υ]κλέους ἀπ[ελευθερωθεῖ-]
[σα ὑπὸ] Θρασ[υ]κλέους τοῦ [Ρ]όμβο[υ]
ἔδωκ[ε τᾶι πόλει τὸ] ὑπὸ τοῦ νόμου τί-
μημα [στατ(ῆρας) ιέ] τὸ γεν[όμενον].

Cum in versibus 5, 8, 12 eadem lacuna sex litterarum sit, non dubium esse videtur quin pecunia vectigalis optime suppleatur. Atque verba *τὸ γενόμενον* huic orationi non inepta videntur esse. Denique supplementis meis idem fere dicendi genus in illis tribus manumissionibus servatur.

Simile aliquid inest in extrema parte tituli n. 1115 v. 20 sqq., quae hoc modo emendari potest:

Προστατεύοντος Δικαίου τοῦ . . . τοῦ ἠλευθερώθη Φιλίστα ὑπὸ Σω[πατ]-
[ρο]υ τοῦ Φαβίου, ἠλευθερώθη Ἰουκοῦνδος ὑπὸ Μαρίου τοῦ Θεοφίλου⟨ς⟩, ἠ[λευθε-]
[ρώθησαν Θε]οδοσία (κα)ὶ Σεκοῦνδα καὶ Χάρις ὑπὸ Σωπα-τ[ροῦ τοῦ Φαβίου.]

Kern in versu 22 nomen litteris *Ση-* incipiens exspectat; sed ex toto tenore illud supplementum verisimilius esse videtur; neque est quod scrupulum inicias litterae *ς*, quae errore lapicidae addita est, atque exempla huiusmodi sunt multa.

Denique recordamur tituli 111, quem in sequenti capite emendare conatus sum.

Hae inscriptiones docent, quomodo singula manumissio paulatim in indicem mutata sit, atque quasi transitum significant. Sed etiamsi hoc ratiocinamur, negare nolumus omnibus temporibus in urbibus Thessaliae utramque titulorum formam in usu fuisse, id quod mirum esse nequit. Certe antiquissimam formam praebent singula instrumenta, in quibus praecipue vectigalis formula magna varietate praedita est.

Veluti in titulo 102 (a, b) tres diversae formulae occurrunt: *ἔδωκε τὸ ἐκ τοῦ νόμου στατῆρας ιε΄, ἔδωκε τὸ γινόμενον στατῆρας δεκαπέντε, ἔδωκε τὸ ἐκ τοῦ νόμου γινόμενον στατῆρας δεκαπέντε.*

In versu septimo et sequentibus fortasse haec supplementa proponi possunt:

. . . . ας Θεο . . . . .
[ἀ]πελευ[θέρωσεν Ἀρχίλαον· ἔ]δ[ωκε]
Ἀρχίλαος κατὰ τὸν νόμον δε[καπ]έντε [στατῆρας].

Praeterea interdum verbum διδόναι in participio additur:

289 δοὺς τὰ γεινόμενα τῇ πόλει δ(ηνάρια) κβ<′
δοῦσα τᾶι πόλει δ(ηνάρια) κβ<′
1268 II δοῦσαν τῇ πόλει τὰ γεινόμενα (δηνάρια) κβ<′

Denique eadem formula occurrit in titulo 1342, quem ita sanamus:

ἀπὸ Καλλιστράτου [τοῦ . . . . .]
ο[υ] ἀπελευθερώθ[η ὁ δεῖνα]
δοὺς τὰ νομι[ζόμε-]
να (στατῆ)ρας τῇ πόλει ταμί-
[ᾳ] Λέοντ[. . . . . .]

Atque in fine hoc legi potest:

ἔδωκε τοὺς νομι[ζομένους στατῆ]ρες τῆι πόλει.

In priore manumissione per errorem lapicidae verba ὁ ἀπελευθερωθεὶς exarata sunt, ita ut verbum regens desideretur; itaque suspicari possumus lapicidam illud insculpere voluisse.

Caput II.

De magistratibus.

Ut omnes tituli publici iuris veluti decreta aut alia instrumenta ita formantur, ut initio vel in fine magistratus nomine allato tempus definiatur, ita manumissiones in publicum prodeuntes huius rationis non expertes sunt. Quae ratio num in verum cadat, ambigi potest, quia nonnulli tituli ad manumissionem pertinentes hoc signo carent. Veluti titulus n. 26 nostram opinionem refutare videtur, cuius fides solis Rossii et Iatridae apographis fulcitur. Verba haec sunt:

Διονύσιος ἀπὸ Κ[ρα-]
τείνου καὶ Μενεσ[θέως]
[κ]αὶ Ἀρχία, Ἐπίκτησις
[ἀ]πὸ Κρίτωνος καὶ
Κλειτοπό[λ]εω[ς] καὶ Π-
ολ[υ]κ[ρίτ]ου καὶ Ξ(έ)νων[ο-]
[ς] τῶν Κρίτωνος ἀπε-
λευθέρα.

Hae manumissiones quae libertorum indicis pars esse videntur, inter duo titulos ita exaratae sunt, ut in integro lapide duo decreta, quae propter eadem nomina eiusdem aetatis sunt (4 a, b), insculperentur, postea infra manumissiones haec inscriptio sepulcralis legatur (n. 50): *Ἐπαφρόδιτος Ἀγαθοκλέους.* Quae cum ita sint, negari non potest tempus plane neglectum esse; ex illis de Hypatae titulis prius expositis elucet hic quaestorem urbis aut *ἐπιμελητὴν τῶν ἀπελευθερικῶν χρημάτων* exspectari, ut hoc titulo rationum reddendarum causa utatur. Haec difficultas tolli potest. Nam cum tabula superne fracta sit, ibi initium tituli exaratum esse probabile est, quod exemplo Hypataeo (25) confirmari potest, ubi supra et infra titulum dedicatorium prioris aetatis manumissiones insculptae sunt.

Iam in eo est, ut ceteros titulos examinemus. Ex omnibus titulis elucet magistratus urbis afferri solere, quia rationes exhibeant earum pecuniarum quas manumissi urbi absolvant. Hoc quaestor urbis facere solet. Quoniam urbes Thessalorum foedere coniunctae sunt, praetor ut magistratus eponymus saepissime in titulis additur ita ut hoc modo incipiant: *στρατηγοῦντος τοῦ δεῖνος, ταμιεύοντος τοῦ δεῖνος* aut simili modo. Sed nonnullos titulos accuratius inspicere cogimur, qui ab hac ratione abhorrere videntur.

Meliteae duo tituli occurrunt, qui permagnae illius inscriptionis partes sunt (206). Initio tituli II a magistratus exspectatur atque in ectypo legi potest:

ταμιεύοντος Καλλιτέλους
τ[οῦ] Πολ ....

Neque aliter emendandum est initium tituli III a, ubi idem verbum *ταμιεύοντος* in ectypo extat.[1])

Subtiliore interpretatione dignus est titulus n. 25 a, ubi lapis quattuor inscriptiones continet. In integro marmore inscriptio dedicatoria insculpta est; postea lapicida parsimoniae causa hoc lapide ad manumissiones edendas ita usus est, ut supra titulum dedicatorium et infra propter parem litteraturam continuas manumissiones insculperet. Quod cum neque apographon neque supplementa Lollingii verum assequi videantur, titulum afferre oportet secundum Lollingii lectionem atque emendationem. E tertio quidem versu accurate cognoscimus, quomodo titulus formetur: *τρισκαιδεκάτῃ· Ἀριστοδάμα ἀπὸ Πολυκάρπου τοῦ Ἀκρ[ίωνος]*.[2]) Ex his concludi potest singulis versibus 50 fere litteras contineri. Praeterea magni momenti est diem nominari; itaque mensis nomen deest.

Iam ad secundum versum transgredimur:

ΑΑΡΧΕΙΣΤΡΑΤΗ . . . . *ΤΟΣΑΡ* . . . .

Nomen *Ἀρχε⟨ι⟩στράτη* refutabis, si reputaveris deinde mensem et diem esse afferendum; quod ut clarius eluceat, paululum in exemplis congerendis moremur. In titulo 206 III b haec extant in fine: *στρ(ατηγοῦντος) Δικαίου [μ]ηνὸς Ὁμολῴο[υ] δευτέρᾳ.* Similem finem praebet n. 325 a: *στρατη[γοῦν]τος Ὀππίου Γραικηΐου [μ]ηνὸς Ἱπποδρομίο[υ]* multaque alia exempla apud Larisaeos et Perrhaebos leguntur. Quibus allatis non dubium est quin supplendum sit: *στρατη[γοῦν]τος Ἀρ* . . . .; sequuntur et mensis et dies.

Tum de primo versu agendum est, ubi Lolling exscripsit:

. . . . *ΗΝΑΙ* . . . .

Haec a supplendo Lollingii opinione abhorrere videntur; sed verum assequimur, praesertim cum ad titulos alios pervestigandos vocemur. E. g. duo titulos afferam:

---

[1]) Hi tituli iam a Giannopulo et Spyridaki enucleati sunt cf. IG. IX 2, Corr. p. XII.

[2]) Reliquiae illae *ΑΚΙ* ultimi nominis fortasse ad illud nomen suppleri possunt, quia ter in titulis Hypataeis occurrit (3 b; 13, 21; 19, 6).

14 [οἵδε ἀπελεύθερ]οι τῆς στηλο-
γραφίας [τὸ ἀργύριον ἔδωκαν]
12 [οἱ ἀπελεύθεροι ἔδωκαν τὸ γινό-]
[με]νον κατὰ τὸν νό[μον].

Ex his titulis haec supplementa facile colligas:

[οἵδε ἀπελεύθεροι τὰ γ]ειν[όμενα τῆς στηλογραφίας ἔδωκαν]
[τῷ ταμί]ᾳ Ἀρχέ[ᾳ] [1]) κτλ.

Interdum quaestor solus in tituli fine additur; e. g. n. 399 c afferam: ὁ δεῖνα ἀπελευθερωθεὶς ἀπὸ τοῦ δεῖνος ἔδωκεν τὸ γινόμενον ἐκ τοῦ νόμου Μένωνι Δημητρίου τῷ ταμίᾳ. Nomine igitur quaestoris annus significatur, quod neglectum est in a et b, qui eodem modo ficti sunt.

Similem formam praebet n. 327 b, ubi accurata observatione magistratum assequemur. In fine a Francogallis lectum est: ἔδωκε τῶ, quod non recte in τ[ὸ γινόμενον] emendatum est. Sed prioribus exemplis adhibitis mea quidem sententia hoc modo explicandum est: ἔδωκε τῷ [ταμίᾳ nomen τὸ γινόμενον ἐκ τοῦ νόμου]. [2])

Magnas difficultates praebet titulus 207 a, qui in columna valde detritis litteris exaratus legenti nullum fere fructum fert. Quamquam enim ectypo legendo permagnum laborem impertivi, tamen nihil aliud assequi potui, nisi quod initio litteras *AM* me cognovisse confirmo. Quod cum tempus aliquo modo significatum sit, fortasse non alienum est hoc loco quaestorem addere. Sed ne quis credat me in talibus ludere, e. g. titulum c inspiciat. Iam aliud accedit, quo res ad liquidum perducitur. Nam si titulos alios huius lapidis accuratius perlustrabimus, nobis reputantibus

---

1) Hoc nomen in duobus diversis exemplis occurrit: Ἀρχέας 119 b 18; Ἀρχίας 26, 3. 1057, 3. 1232, 35. Eandem vocalis mutationem monstrant haec nomina: Λυσίας Λυσέας, Ἡγίας Ἡγέας, Καλλίας Καλλέας, Νικίας Νικέας, Πυθίας Πυθέας, Χαιρίας Χαιρέας, Αἰνείας Αἰνέας (CIA. I 478), Γλαυκίας Γλαυκέας. Cf. Nachmanson, AM. 1907, p. 9.

2) In huius tituli initio litteras Εὐ legi, ut suppleri possit: Εὐ[αι]νέτη, quod nomen apud Pape-Benselerum in masculina forma Εὐαίνετος, in titulis atticis in forma feminina occurrit cf. Bechtel, Att. Frauennamen, p. 3.

obstabit omnes fere praetorem prae se ferre; sin autem titulos d, f, k colligimus, illa fragmenta hoc tantum modo suppleri posse apparet:

> [*Στρατηγοῦντος τοῦ δεῖνος*]
> [*τ*]*αμ*[*ιεύοντος τοῦ δεῖνος τοῦ*]
> . . . . . *νους οἱ ἀπ*[*ηλευθερωμένοι*]
> [*καὶ δεδωκότες τὸ γ*]*ινό*[*μενον τῇ πόλει*].

Deinde sequuntur manumissi atque titulus b, quasi additamentum est prioris tituli.

Tituli n. 228 b fragmenta ectypo deficiente satis certo supplemento resistere videntur. Etiamsi potissimum interest magistratus assequi, tamen operis pretium erit totam inscriptionem si fieri potest supplendo sanare. Si ex litteris *IETIO* mensis *Γενέτιος*[1]) emendatur, non dubium est quin initio tituli magistratus exspectetur. Itaque verisimile est fragmenta ita emendari:

> *Λο*[*νγινου*] sive *Λο*[*υκίου*]
> [*τ*]*οῦ* [*ταμ-*]
> *ίου* [*μη*(*νὸς*) *Γε-*]
> [*ν*]*ετίο*[*υ*].

Ceteri versus quamquam ab interpretatione abhorrere videntur, nescio an ad hoc spectent argumentum:

> [*Ἀρ-*]
> *μόδα*[*μος*][2])
> *Λου*[*κίου*]
> *ἀ*[*π*]*ελ*[*ευθέρω-*]
> [*σε τ*]*ὰ*[*ς ἰδίας*]
> [*θρ*]*επ*[*τὰς Πε-*]
> *ριγε*[*νείαν καὶ*]
> [*Μ*]*ακαρ*[*ίαν· ἔ-*][3])
> [*δ*]*ω*[*καν τὰ γινό-*]
> [*με*]*να* [*τῆς*]

---

[1]) Hic mensis in duabus urbibus Achaiae Phthiotidis eiusdem regionis occurrit: Hali 109 a 74 et Meliteae 206 II b 26.

[2]) Hoc nomen iam Kern ex titulo n. 227 a protulit.

[3]) Haec nomina Hiller per litteras benigne missas mecum communicavit.

ἀπε[λευθερ-]
[ώσ]ε[ως ἀργύ-]
[ρια ἑκάστη]
[δηνάρια κβ<′].

Etiamsi hunc titulum satis audacter tractavi, tamen non ambigi potest, quin de uno manumissore agatur item atque in titulo c, neque indices libertorum proferantur.

Titulus n. 324 c quia initio mutilus est, dubitatio nascitur, utrum titulo b additus an denuo magistratu ornatus sit. Sed aliena litterarum forma potissimum litteris ш et ⊏ probatur titulum c multo seriore tempore quam a et b incisum esse. Praeterea desunt 14 fere litterae, unde colligimus initio praetorem nominatum esse, quia propter recentiorem huius tituli aetatem verbum *στρατηγοῦντος* in ligatura scriptum esse verisimile est.

Larisae quoque in nonnullis de magistratibus quaestio est. Tituli n. 556 initium quomodo emendari possit, ex aliis huius urbis catalogis cognosi potest. Veluti n. 540 his verbis incipit:

[οἱ ἐπ᾽ αὐτοῦ] ἀπελεύθεροι οἱ δεδωκό-
[τες τῇ π]όλει τοὺς δεκαπέντε στα-
[τ]ῆρας κατὰ τὸν νόμον.

Praeterea n. 547 simile initium praebet:

παρὰ τοῦ δεῖνος τοῦ ταμίου τῆς πόλεως τὴν β′ ἑξάμηνον ἐν στρατηγῷ Ἱπποκρατίδῃ ἀναγραφὴ ἀπελ(ευθέρων) τῶν δεδωκότων τοὺς στατῆρας τῇ πόλει.

Pheris quoque n. 415 a cadit in idem fere argumentum:

τοῦ δεῖνος ταμιεύοντος τῆς πόλεως τὴν πρώτην ἑξάμηνον τοῦ ἐνιαυτοῦ τοῦ ἐπὶ στρατηγοῦ τοῦ δεῖνος οἱ δεδωκότες ἐπ᾽ αὐτῷ ἀπελεύθεροι τῇ πόλει τοὺς δεκαπέντε στατῆρας κατὰ τὸν νόμον.

His exemplis usus proferam haec supplementa:

[ταμιεύοντος τοῦ δεῖνος ἐν στρα-]
τη[γ]ῷ Ἀ[. . . . . . ἀπελεύθεροι οἱ δεδω-]
κότες τ[οὺς γινομένους τῇ πόλει στα-]
τῆρας [δεκαπέντε].

Altero titulo Larisae reperto (564) ectypum ipsum denuo inspectum auxilium tulit; quamquam litterae satis evanidae sunt, tamen initio nonnullas litteras cognovi, quae permittunt haec supplementa:

[ταμιεύοντος τοῦ δεῖνος τὸν ἐνιαυτὸν]
[τὸν ἐπὶ] στρα[τη]γ[ῶ . . . .]

Quae sequuntur, legere non potui, sed verisimile est titulum aeque formatum esse atque illos supra allatos:

Denique tribus versibus tituli Larisaei (539, 22 sq.) examinando medeamus. Mirum enim est, quod media in inscriptione verbum δεδωκότες rursus legitur, quod iam initio nobis occurrit. Huc accedit, ut plane diversae formulae in titulo ipso exaratae sint (ὁ φάμενος ἀπηλευθερῶσθαι ἀπὸ τοῦ δεῖνος τοὺς γινομένους τῇ πόλει στατῆρας ιέ). His prolatis certum est in illis versibus hanc communem formulam suppleri non posse. Immo vero illi loco ita nos medemur, ut similia verba atque initio emendentur atque versus hunc tenorem praebeant:

[οἱ]
δεδωκότε[ς τῷ] τα[μίᾳ nomen στατῆρας ιέ ἐπὶ στρατη-]
[γ]οῦ Λυσιμάχου τοῦ [δεῖνος . . .]

Quod cum in his supplendis cognoverimus titulos magistratibus quibusdam carere non posse, non alienum esse arbitror exquirere, quae ratio in titulis per magistratus definiendis in usu fuerit. Haec nonnulla exempla docent, quae ab editoribus, quod ad hanc rem attinet, non accurate emendata sunt.

Titulum n. 78 b propter compendia et ligaturas aetate imperatorum exaratum Kern non recte explicuit his verbis:

[Ἀφρο]δεισίου τοῦ Σω-
[τάδ]ο(υ)ς ὁ ἀπελεύθε-
[ρος ἔδω]κε τῇ πό(λει) τὰ κβ<′ (δηνάρια) στρ(ατηγοῦντος)
- - Ἀ]πολλωνίου Ζ[η-?].

Apollonius enim non modo hominis, sed etiam mensis nomen est, atque litterae ζι diem significant, quo manumissio facta est veluti in n. 278: Ἑρμαίου ζι′. Quo signo hic

titulus concluditur. Praeterea nomen liberti neglectum est, quo cuique manumissionis instrumento opus est. His vitiis observatis iam titulus ita sanatur:

[*Ταμιεύοντος Ἀφρο*]*δεισίου τοῦ Σω-*
[. . . . . . . nomen liberti-]*ος ὁ ἀπελεύθε-*
[*ρος τοῦ δεῖνος ἔδω*]*κε τῇ πό(λει) τὰ κβ<′ (δηνάρια)*
στρ(ατηγοῦντος)
[*τοῦ δεῖνος μη(νὸς) Ἀ*]*πολλωνίου ζι′.*[1])

Similiter compositus est n. 111, sed apographon Giannopuli atque eius supplementa certe in errore versantur, cum in versu secundo magnam lacunam significet, in ceteris vero hanc non admittat. Huc accedit, ut verbum *ξενικῇ* miro loco additum sit; usitato enim more nisi verbo *ἀπελευθερωθείς* aut simili voce coniunctum non invenitur. Denique in verbo *Κεραυν*[*ί*]*ου* magna dubitatio haeret, cum Iovis cognomen, non hominis nomen sit. Praeterea desunt in hac lacuna duo vel tres litterae. Quodcum tot tantaeque difficultates hic sedeant, forsitan haec supplementa in verum cadant:

Ἐπιγένη[*ς ἀπὸ*] *Μόντα ἔδωκε τῆι πόλει τὸ ἐκ τοῦ*
[*νόμου γινόμενον ἀργ-*]
[*ύρ*]*ι*[*ον*] *δ(ηνάρια) κβ<′, Παρμενίων ἀπὸ Φίλω*[*νος*]
[*τοῦ δεῖνος καὶ ὁ δεῖνα ἀπὸ* . . . . .]
νος ἔ[*δωκαν ἕκαστος τ*]*ῆι* [*πόλει τὸ ἐ*]*κ* [*το*]*ῦ ν*[*όμ*]*ου*
[*γινόμενον ἀργύριον δ(ηνάρια) κβ<′*]
[*τῶι ταμίαι* nomen] *μ(ηνὸς) Ἱπποδρομίου στρατ*[*η-*
γοῦντος τοῦ δεῖνος].

Titulum Gomphorum n. 297 hoc modo restituendum esse arbitratus est Wilamowitz:

[*Στρ(ατηγοῦντος)* - - -]
[*ταμιε*]*ύον(τ)ος* [*Δ*]*ει-*
[*νομέ*]*νους ἀπ*[*η*]*λευθ*[*ε-*]
[*ρώθη δο*]*ῦσα* [*τὰ*] *γιν*[*ό*]-
[*μενα δ(ηνάρια)*] *κβ<′.*

---

[1]) Propter hunc mensem titulus non ad Lamiam spectat; cf. appendicem.

Sed deest nomen libertae, qua de causa Wilamowitz in supplendo erravit, cum manumissio nihili sit, nisi servus, qui hoc munere afficitur, nominatim affertur. Huic rationi repugnare videtur n. 1040 d; sed si tituli tenorem et verbi reliquias accurate inspexeris, nomen liberti facile restitues: *ὁ ἀπελευθερωθεὶς ὑπὸ Θέρμωνος καὶ Σωτηρίχο[υ] καὶ Ἀδύμ[ο]υ τῶν Πτο[λ]ε-[μ]αίου [Ἀγ]άθων ἔδωκεν τ[ὸ γ]εινόμενον τῇ [πό]λει.* Kern dubitans *[ἀδε]λ[φ]ῶν* supplevit, sed de liberis, non de fratribus Ptolemaei agitur, quod ex titulo 1042, 26. 67. 103 cognosci potest.

Redeamus nunc ad titulum priorem, cui cum magistratus urbis libertum rationis reddendae causa nominatim afferri intersit, ita mederi possumus:

[Στρατηγοῦντος τοῦ δεῖνος]
[ταμιεύοντος . . .]ινονος [Δ]ει-
[. . . . .]νους ἀπ[η]λευθ[έ-]
[ρωσεν τὴν δεῖνα δο]ῦσα[ν τὰ] γ[ε]ιν[ό-]
[μενα τῇ πόλει δ(ηνάρια)] κβ<΄.

In aliis quoque titulis magistratus quidam facile addi possunt. Initium tituli Metropolitani 276 [1]) ex titulo sequenti suppleri potest hoc modo:

[Ταμιεύοντος τοῦ δεῖνος]
[οἱ ἀ]π[η]λευ[θερωμένοι μηνὸς . . . . .]

Atque n. 1040 b puto sic sine offensione legi:

[Ταμιεύοντος τῆς πόλεως τοῦ δεῖ-]
[νος τοῦ Δ]ημοκρ[άτους τὸν ἐνι-]
[αυτὸν τὸν] ἐν στρατ[ηγῷ κτλ.]

Quae supplementa non sine causa afferri tituli sequentes demonstrant neque ambigi potest, quin *ὁ ταμίας τῆς πόλεως* expectetur, cum in versu tertio verba *ἐπ' α[ὐτοῦ]* id est *τοῦ ταμίου* extent.

Titulo n. 1043 a haec supplementa usui esse possunt, quibus magistratus inducitur:

---

[1]) In huius tituli versu tertio emendari potest: *τοῦ Κ[λεο]πάτ[ρου]*.

[Ταμιεύοντ]ος Απολλωνίδου Ἀμ-[1])
[μί]α Ἄκτη ξενικῇ λύσει ἀπελεύθεραι ἔδωκαν
τῆι πόλει τὰ γινόμενα ἑκάστη
δ(ηνάρια) κβ<΄.

In titulo n. 1268 manumissiones duodecim annorum deinceps sequuntur; nimirum quaeritur, num etiam in versu 25 praetor et quaestor magistratus atque mensis emendari possint, quoniam lacuna viginti tantum litterarum adest; sed iam in versu 24 hunc annum orsum esse verisimile est.[2]) Itaque hic locus haud scio an ita sanetur:

..... [ταμιεύοντος τῆς πό(λεως) τοῦ δεῖνος]
[στρ(ατηγοῦντος) τοῦ δεῖνος μη(νὸς) .... ίπ]πα[3])

Eiusdem urbis tituli 1272 versus quartus fortasse hoc modo suppleri potest:

[ταμιεύοντος τῆς πό]λεο[ς] τὴ[ν πρώτην ἑξάμηνον],

quibus verbis novus annus incipit.

Aetate imperatorum Romanorum paulatim mos fit usitatis magistratibus annum imperatoris addere;[4]) interdum etiam accidit, ut imperator ipse honore praeturae afficiatur (1115, 415. 1342). Hoc loco oportet duos titulos accuratius examinari.

Titulus n. 413 a Giannopulo exscriptus ad sententiam quandam perduci potest. Haud dubie in versibus 6 et 7 verbum [ἀπελ]εύ[θερ]ος insculptum est, unde certum est manumissiones afferri. Iam ex versu 14 et sequentibus satis certa supplementa evadi verisimile est, si quis similes titulos, praecipue n. 415, qui eiusdem fere temporis est, inspexerit. Itaque haec proponere audeo:

---

[1]) Litteras *AM* in ectypo cognovi.

[2]) Idem occurrit in versu 16.

[3]) Haec liberta a duobus manumittitur. Itaque velim versum 26 hoc modo emendes: . . θέτου [καὶ Ἀρισ-]τόνου τοῦ δεῖνος.

[4]) Quod fit Hypatae (n. 13), Pheris (n. 413), Larisae (n. 538. 544. 545. 546), Dolichae (n. 1296).

ἔτους [α′] αὐτ[οκράτορος Καίσαρος]
[θεοῦ υἱοῦ] Σ[εβαστοῦ οἱ δεδωκότες]
ἀ[πελ]εύθ[εροι τῇ πόλει τὸ γινόμε-]
νον. Μειδ[ίας . . . .]

Quae si ita sunt, initio nonnulli magistratus praetor quaestor sacerdos dei cuiusdam tempus definiunt, postea praeter praetorem, qui certe in versu 13 legi potest, primus annus imperatoris Augusti novum libertorum catalogum exorditur.

In titulis n. 349 b et c et ipsos annos quosdam Augusti assequemur. Quamquam ex ectypo aliquid novi proferre possum, tamen nescio an melius sit a titulo c proficisci, in cuius ectypo haec leguntur:

Εἰσίδοτος ἀπηλευθε[ρωμένος ὑπὸ . . . .]
θοιν(ί)στου? καὶ Ἑρμιόν[ης τῆ]ς γυναι[κὸς καὶ . . . .]
τοῦ υἱοῦ αὐτῶν ἔδωκεν τῇ πόλει τὰ γειν[όμενα δ(ηνάρια) κβ<′]
Λεσχανορίου α′, ἔτους ζ′ Σεβαστ[οῦ . . .]
. . . . τος [. . . . . ἄ]ρχου.

Initio igitur inducuntur libertus cum formula manumissionis atque manumissores, deinde sequitur indicium vectigalis publici, iam tempus definitur mense atque anno. Est annus septimus; sed quaerendum est, cuius aerae annus aut cuius magistratus aut cuius imperatoris significetur. Quoniam mensis Λεσχανόριος iam prius commemoratus est neque usquam mensis nominis Σεβαστοῦ in Thessalia extitit, dubitari non potest, quin annus quidam imperatoris Augusti inducatur eodem modo atque in titulo Azori n. 1296: ἔτους τρισκαιδεκάτου Σεβαστοῦ. Qua ex causa praetorem aut quaestorem in huius tituli fine nominatum esse verisimile est. Iam initium tituli b quaeso inspiciatis, ubi in ectypo haec leguntur:

. . ἔτους ὀγδόου Σεβαστοῦ κτλ.[1])

Atque in primo versu valde mutilato certe magistratus quidam exspectatur. Tempus igitur horum titulorum facile destinari potest: b a. 20/19 a. Chr. n., c a. 21/20 a. Chr. n. exaratus est.

---

[1]) In versu quarto huius tituli ectypon praebet hoc: Σύρα ἀπὸ Ἡγ[η]σάν[δρου τ]οῦ Ἀγαθοκλέους.

Iam prius cognovimus Hypatae quaestoris loco aetate imperatorum novum magistratum institutum esse ad rationes vectigalis publici fungendas. Quodcum contingat, ut hunc magistratum accuratius cognoscamus ex quattuor titulis (17. 19. 21. 23), paulo amplius de hoc viro agam. Titulus 23 exaratus est in latere dextro eiusdem lapidis, qui in fronte habet titulum honorarium 37 et in latere sinistro titulum 24; quae uncis non inclusa sunt, ego in ectypo cognovi:

Σωσάνδρου τοῦ Νικοβούλου τοῦ [ἐπιμελητοῦ τῶν
ἀπελευθερικῶν χρη-]
[μ]άτων ἀν[α]γραφ[ὴ τ]ῶν δεδω[κότων τῆι πόλει τὸ
τῆς στηλογραφίας]
ἀργύριον στρατηγοῦντος Ἀθ[. . . . . mensis, dies]

Quae cum ita se habeant, n. 24 indicem concludit.

Hunc singularem magistratum necesse est, ut penitus inquiramus. Tituli 16. 21. 22 in eodem lapide ita exarati sunt, ut 21 et 22 in fronte aspiciantur, 16 in altero latere legatur. Titulus n. 21 hoc modo incipit: *Ζωΐλου τοῦ Παραμόνου τοῦ ἐπιμελητοῦ τῶν ἀπελευθερικῶν χρημάτων ἀναγραφὴ τῶν δεδω[κότων ⟨τ]ὴν⟩ τῇ πόλει τὸ τῆς στηλογραφίας ἀργύρι[⟨ρι⟩ον] στρ(ατηγοῦντος) Γραικηΐου Πρόκλου.* Iam deinceps manumissi trium annorum proferuntur, qui vectigal publicum absolverunt, cuius rationes reddit ille magistratus, qui his pecuniis praeest, unde hunc virum cognoscimus complures annos munere esse functum. Praeterea n. 22 quasi additamentum est, quia Alexandrum ab Asclepiade manumissum in versu 16 praetermisisse ei in mentem venit; difficilius est n. 16 accurate interpretari, quia confestim servi atque eorum manumissores sine praefatione ac temporis signo inducuntur. Postea demum in versu 9 praetor inducitur nomine Cocceius Lycus, quod plane ab illa ratione abesse videtur, quae modo nobis obvenit; sed eundem lapicidam utrumque titulum (21 et 16) insculpsisse ex litterarum formis apertum est. Praeterea hoc confirmatur eisdem manumissorum nominibus, quae nobis occurrunt. Itaque ad verum accedere mihi videor, cum arbitrer illum titulum (16) reliquam partem rationum Zoili esse. Atque ad has deliberationes aliud accedit, quo evidentius apparere mihi videtur, unde illae rationes

eiusdem anni (*στρατηγοῦντος Εἰσαγόρου τὸ β'*) plane interruptae sint. Scriba enim illius magistratus animadvertisse videtur, Alexandrum libertum a lapicida per errorem praetermissum esse; atque satis aequo loco titulus 22 suppletus est, unde etiam apparet in hoc titulo praetorem deesse, quoniam haec manumissio in Isagorae annum cadit aeque atque illi, qui initio tituli 16 leguntur. Idem argumentum e titulis 19 et 23 (24) assequimur, cum ibi duo praetores deinceps afferantur, in titulis 23 et 24 in eodem lapide exaratis, quamquam valde mutili sunt, tamen duo praetores cognoscantur. Ut Hypatae etiam Atrace magistratus quidam fuisse videtur, qui complures annos hoc munere functus est. Quae res eo apparet, quod in libertorum catalogo n. 474 duo praetores Mnesimachus et Philoxenides leguntur. Sed qualis fuerit magistratus, in tenebris iacet, cum hic titulus initio mutilus sit atque laterculus manumissionum in fronte huius lapidis exaratus adeo detritus sit, ut hodie nulla legi possint.

Apud Magnetas loco quaestoris *ὁ προστάτης* occurrit, qui et solus et iuxta praetorem apparet. Velut in n. 1119 tres anni solum per praetorem significantur, cum etiam in versu 9 *στρ(ατηγοῦντος)* legerim.[1]) Sed praeter praetorem et praefectum urbis tertium magistratum in Magnesia fuisse tituli 1115 et 1117 III docent. In hoc titulo iam Hiller supplementum *ἐπιμελη[τεύοντος]* proposuit, quod in verum cadere videtur. Cum in ceteris huius regionis titulis pretium manumissionis addi soleat atque in versu 11 certe nomina liberorum Marciae exspectentur, dubitari non potest, quin titulus emendetur ita:

Στρ(ατηγοῦντος) Καίσαρος ἐπιμελη[τεύοντος . . . .]
μηνὶ Ἑστίῳ οἱ Μαρκίας [*παῖδες* nomina *ἠλευ-*]
θέρωσαν Ἔρωτα τὸν [*οἰκέτην λύτρον λαβόντες παρ' αὐτοῦ*
(*δηνάρια*).]

Qua ratione probata in versu decimo 30 fere litterae suppleri possunt; itaque in hac urbe similem magistratum institutum esse

---

[1]) Versus decimus fortasse hoc modo explicatur: *Πελωρία* [*γυνὴ*] *Ἀ[π]πίου*; hoc est nomen iocosum cf. F. Bechtel, Gött. Abhandl. NF. II 5, p. 8 cum nota 1.

putamus atque Hypatae. Quae opinio titulo 1115 confirmari videtur. Agitur de quattuor prioribus versibus, qui spatio aliquo a sequentibus secreti sunt. Quod cum in apographo singulorum versuum continuatio non clare perspiciatur, ita ut nonnulla incerta esse Kern suspicetur, ultro impedimenta augentur. Sed primum versum inspiciamus: [*στρατη*]*γοῦντος Καίσαρος Τ*[*ιβερίου, προστα*]*τεύοντος Λουγίνου, παρὰ Μάρκου Τειτίου*; si apographo fidem habemus, colligimus medio in versu lacunam tredecim fere litterarum extare atque initio versuum sex litteras deesse.[1]) Quae si ita sunt, Tiberius honore praeturae affectus esse videtur. Praeterea ceteri versus hanc imaginem praebent:

2 ...... *του τοῦ κ*[*αὶ*] *Ἰσο*[*δ* ....
.. *πονους ἀπελευθερωσεν* ...
3 *ονοματισμο* .... *του,*
Τύχη ὑπὸ Νικολάου ...
4 *Ἀντικράτης ὑ*[*πὸ* ....]

Medio in versu secundo 30 fere litterae deesse videntur, medio in versu tertio 38 fere litterae, praeterea in fine versuum nonnullae litterae desiderari videntur, cum priores tres versus diversam longitudinem praebeant. Aliis titulis auxilio allatis contingit reliquias *ονοματισμο* ad liquidum perducere. Duo enim tituli Larisae nobis occurrunt, quorum alter non recte suppletus est, alter viris doctis magnas difficultates paravit. In n. 542 leguntur haec:

> [*Τα*]*μιεύοντος τῆς πό* | [*λεω*]*ς τὴν δευτέραν ἑξά-* | [*μηνον*] *Δημοκράτους τοῦ* | [*δεῖνος ἐν στ*]*ρατηγῷ Ἀγαθάνορι* | [*ἀπολο*]*γισμὸς τῶν ἀπη* | [*λευθερω-*]*μένων ἐπ' αὐτ*[*ο*]*ῦ κα*[*ὶ* | *δεδωκ*]*ότων* ⟨*οτων*⟩ *τῆι πόλ*[*ει* | *τοὺς τῆς*] *ἀπελευθερώσ*[*εως ιε' στατῆρα*]*ς μηνὸς Ἀφρίο*[*υ*].

Hoc fere modo Wilamowitz titulum sanavit. Sed in versu 5 eius supplementa dubitationem praebent, cum verbum [*ἀπολο*]*γισμὸς* in sententiam non quadret. Rationes enim redduntur de pecuniis, non de hominibus. Sed hoc loco libertorum

---

[1]) Sed initio versuum 3 et 4 lacunam non adesse ectypon testis est.

index affertur eorum, qui vectigal publicum praetori absolverunt. Itaque verbum [ὀνομα]τισμὸς supplemus. Etiamsi hoc verbum neque in inscriptionibus aut papyris [1]) neque apud scriptores nobis occurrit, tamen non est, quod dubites, quoniam recte formatum est e verbo ὀνοματίζειν id est nominatim afferre atque verbum huius sententiae exspectatur, quo loco alicubi ἡ ἀναγραφὴ verbum eiusdem generis legitur. Quae ratio altero huius urbis titulo probatur, cum n. 560 ita decribi possit:

[Παρὰ Ἀσκ]λη[πιάδου τοῦ δεῖ-]
[νος] τοῦ [ταμίου τῆς πόλεως]
[ἐν στ]ρατηγῶ [. . . . .]
[. . ὀ]νοματισμ[ὸς ἀπελευθέρων τῶν]
[δεδ]ωκότων σ[τατῆρας ιε' μηνὸς]
[Λ]εσχανορί[ου· παρὰ . . . .
. εος τοῦ ἀπ[ηλευθερω-]
[μέ]νου ὑπὸ Ἰσα[γόρου καὶ Ἀρι-]
[στ]οφύλου τῶ[ν Φιλίσκου]
[τὰ γ]ι[ν]ό[με]ν[α δηνάρια κβ<'].[2])

At redeamus ad titulum n. 1115. Certe in tertio versu hoc verbum ὀνοματισμός suppleri potest. Praeterea genetivus exspectatur, qui ab hoc verbo pendet. Quodcum in verbis ους ἀπελευθέρωσεν aliquid ambiguitatis haereat, cum plane diversa formula in sequentibus versibus adsit (Τύχη ὑπὸ Νικολάου, Ἀντικράτης ὑπὸ τοῦ δεῖνος), suspicari possumus in illis verbis genetivum inesse atque hoc fere supplementum proponere audemus: [τῶν] ἀπελευθερω[θ]έν[των] ὀνοματισμός. Licet res aliter se habeat, tamen certum est de libertorum catalogo hic agi atque Marcum Titium eum magistratum esse, qui hunc indicem protulit. Sed quomodo nominatus sit, obscurum est.

Denique duo tituli Larisae urbis inspiciendi sunt, qui eam singularitatem praebent, ut multo plures magistratus quam ceteri prae se ferant. Titulus 539 hoc modo incipit:

---

[1]) U. Wilcken, quem in papyris quasi habitare omnes scimus, a Kernio interrogatus hoc verbum in iis extare negavit.

[2]) Nomen Ἰσαγόρας apud Larisaeos crebo occurrit (516, 3. 528, 1. 538. 546. 555. 800. 925); Ἀριστόφυλος Φιλίσκου est ἱερομνήμων in titulo 541, 3, qui in idem fere tempus spectat.

Δημάρχου τοῦ Αἰσχίνου
ταμιεύοντος τῆς [π]όλε[ως τὴν .....][1])
[ἑ]ξάμηνον τὴν ἐπὶ στ[ρατηγοῦ ....]
έου Κιεριέως, ταγευόντ[ων ...... τοῦ ....]
νίκου, Δάμωνος τοῦ Ἀριστ[....... Ἀμ-]
[υ]νάνδρου τοῦ Πολυσ[τράτου .....]
ου, γυμνασιαρχούντ[ων .... ο-]
υς, Φιλίσκου τοῦ Θεσσ[αλοῦ, ...]
[Πε]τραίου τοῦ Ἀγάθ[ω]ν[ος οἱ ἀπελεύθε-]
[ρ]οι καὶ δεδωκότες τ[ῇ πόλει τοὺς ιε']
[στ]ατῆρας κατὰ τὸν νόμ[ον. mensis].

Cum in versu 7 ectypon litteras *ος* non praebeat, potius *γυμνασιαρχούντων* legendum est compluribus viris sequentibus. Praeterea in titulo 541 haec leguntur:

....
.. τοῦ Ῥούφου, Δ[....... τοῦ][2])
[Π]αρμενίσκου, ἱερομνη[μονευόν-]
των Ἀριστοφύλου τοῦ Φιλίσκου,
Φιλοξένου τοῦ Φιλοξένου, γυ-
μνασιαρχούντων Ἀλεξίππου
τοῦ Ἀλεξίππου, Πωτάλου τοῦ Πω-
τάλου οἱ φάμενοι κτλ.

Initio praefectos aut quaestores urbis commemoratos esse verisimile est. Sed quaerendum est, cur tituli prae se ferant tot magistratus. Omnes fere magistratus urbis, quorum nominibus annus significatur, hic ita apparent, ut tempus quasi omnibus eponymis definiatur. Ceterum *ὁ ταγός* simili urbis munere functus esse videtur atque quaestor urbis; veluti Gonni liberti interdum *τοῖς ταγοῖς* sive *τῷ ταγῷ* (1043, 32) vectigal publicum absolvunt. Idem fit in titulo Larisaeo 538. Quin etiam Cyretiis idem vir et *ταγός* et *ταμίας* est (*ταγεύοντος καὶ ταμιεύοντος*

---

[1]) Cum haud dubie versus nonus 29 litteras, versus quartus 32 fere contineant, in ceteris eundem fere numerum esse exaratum apparet; sed cum menses lateant versu 30 excepto, ubi *Θεμίστιος* adest, dubitatio oritur verba *πρώτην* an *δευτέραν* supplenda sint; alia proposuit Kroog, l. l. p. 23 sq.

[2]) Haec in ectypo extant.

τῆς πόλεως κατὰ ψήφισμα 342). Atque idem initium praebet fortasse n. 341: [ταγεύοντος τοῦ δεῖνος καὶ ταμιεύοντος] τῆς π[ό](λεως) κατὰ ψήφισμα κτλ. Item fieri potest ut titulus 340 a ita sanetur: ταγεύοντος Ποπλίου [τοῦ Εὐτρόπου], cum in versu 7 emendemus: Ποπλίῳ τῷ τ[αγῷ] Εὐτρόπου, quod per errorem lapicidae pro Ποπλίῳ Εὐτρόπου τῷ ταγῷ exaratum est.[1]) Cetera verba quid sibi velint, neque ex ectypo neque ratiocinando assequi potui.

In titulis Cyretiarum ὁ ἵππαρχος (n. 339. 340. 344) occurrit. Hic magistratus munere quodam urbis in annum fungitur, itaque ad tempus definiendum adhibetur eodem modo ac praetor quaestor alii.

Caput III.

De loco manumissionis.

Cum antiquissima manumissionis forma ita facta sit, ut servus deo cuidam consecretur, quo liber fiat, dubitari non potest, quin sacro loco aut ante aram aut in templo huius dei libertatem acceperit. Haec ἀνάθεσις in nonnullis titulis[2]) nobis occurrit velut in illis, qui in promunturio Taenaro reperti hoc modo compositi sunt: ἀνέθηκε τῶι Ποhοιδᾶνι ὁ δεῖνα τὸν δεῖνα κτλ.[3]) Haec opinio eo probatur, quod hi lapides e parietinis templi Neptuni effossi sunt.

Altera prisca manumissionis forma, quae ab illa non multum aetate superatur, est ἡ ἀπόδοσις quae dicitur. Haec ita fit, ut servus deo cuidam venditetur; atque consuetudo est instrumenta manumissionis in templo servari (ἁ ὠνὰ ἐν τῶι ἱερῶι καὶ παρὰ τὸν ναοκόρον IGDI. 1912. 1913 etc.). Multo recentiore aetate servi ἐν ἐννόμωι ἐκκλησίαι libertatem accipiunt,[4]) ut

---

[1]) Aliquid simile habet tit. 1339, ubi haec leguntur: Ῥηγίλλα χα[ῖ]ρε [Ἐνε]λθόντο[ς].

[2]) Cf. IG. VII et IG. IX 1 passim.

[3]) SGDI. 4588—4592 et A. Wilhelm, Arch. epigr. Mitt. aus Österr. 20 (1897), 96. Hic lapis miro casu ex hoc promunturio ad oram Asiae Minoris ablatus est, unde fortuito ad insulam Symen portatus est.

[4]) Cf. Rec. des inscr. jur. gr. II 2 p. 256.

e. g. apud Elatenses (IG. IX 1, 119 sqq.) et apud Delphos.[1]) Quo loco Thessali servos libertate donaverint, ex his titulis cognosci non potest, sed eos eadem consuetudine usos esse ac ceteros Graecos verisimile est. Quae opinio fortasse eo confirmatur quod interdum sacerdotes temporis definiendi causa in titulis obveniunt (Gomphis 287, Pheris 413). Atque ex titulo 1034 concludimus in Apollinis templis Thessalos manumissiones perfecisse. Nam haec leguntur: *Ἄπλουνι Τεμπεῖτα Αἰσχυλὶς Σατύροι ἐλευθέρια.* Aeschylis igitur Satyri dedicat Apollini aram aut stelam pro manumissione sua. In uno tantum titulo Larisaeo n. 538 locus manumissionis commemoratur. Sed cum dubitetur, num hic ad manumissionem pertineat, accurata interpretatione opus est. Ex duobus enim causis mihi persuasi eum reapse catalogum libertorum esse. Mirum enim est quod plurima nomina servis praecipue propria sunt veluti *Εἰσίας,*[2]) *Εἰσίων, Σωτηρίς, Ἀττική, Σαμβατίς, Μακεδονία, Τυραννίς,*[3]) *Δύναμις.*[4])

Praeterea illa nomina in genetivo allata tam frequenter recurrunt, ut nisi de manumissoribus non cogitari possit. Duo viri quinquies inveniuntur, *Ἀρίστων* et *Φιλάμβροτος,* quattuor ter *Θεόφιλος Ἴταλος Εἰσαγόρας Δήμαρχος* alii bis. Ceterum opinio nostra etiam hac re probatur. In versu 42 haec leguntur: *Φορτουνάτα Ἀριστίωνος.* Quindecim fere annis post (a. 131/32 p. Chr. n.) in titulo 546, 12 haec nomina exarata sunt: *Εὔπορος ὑπὸ Φορτουνάτου τοῦ Ἀριστίωνος ἀπελευθέρου* unde concludi potest de eodem manumissore Aristione agi, cum servis similia nomina sint. Itaque huius tituli initium aliis inspectis ita supplemus, ut tabula libertorum restituatur haec:

[Τοῦ δεῖνος τ]οῦ πρωτοστάτου ταγοῦ
[ἀναγραφὴ τῶν] δόντων αὐτῷ τοὺς ε[ι′]
[στατῆρας κατὰ τ]ὸν γραφέντα νόμον αὐ-
[τοκρά]τορος Νέρβα Τραιανοῦ

---

[1]) Cf. Bull. Hell. XXII, n. 85. 87. 119.

[2]) Idem servi nomen nobis occurrit in his titulis 206 Ia. 553, Bull. Hell. XXII, n. 46. 77.

[3]) Cf. n. 568.

[4]) De Thessalicorum servorum nominibus alio loco uberius agam.

[Γερμαν]ικοῦ Δακικοῦ Παρθικοῦ
. . . . . . μηνὸς ἐκκλησίᾳ.[1])

Unde manifestum est Thessalos ipsos recentiore aetate servos in contione manumisisse.

Caput IV.

De vectigali publico.

In Thessalia manumissus urbi vectigal publicum, manumissori pretium manumissionis absolvit. Illud lege constituitur, id quod ex verbis *δοὺς τὰ γινόμενα ἐκ τοῦ νόμου* aut similibus facile cognoscimus. E verbis, quae in titulis Hypatae et Lamiae huic formulae adduntur, hanc pecuniam apparet eo a libertis datam esse, quod urbs aut eius magistratus sive *ὁ ταμίας* sive *ὁ ταγός* sive alius libertos gratia et honore in lucem prodeundi affecit. Hunc usum iam in tertio a. Chr. n. saeculo in usu fuisse ex titulo 221 Thaumacorum aliorumque, qui propter litteraturam et dialectum ad hoc fere tempus pertinent, elucere videtur; hoc autem vectigal iam prius a libertis datum esse neque umquam haec pecunia *δεκαπέντε στατήρων* sive *εἴκοσι δύο ἥμισυ* denarium mutatam esse suspicamus, quamquam usque ad tertium p. Chr. n. saeculum in usu fuit. Apud Romanos similis mos vigebat; a Manlio enim consule, cum a. 357 a. Chr. n. Sutrii sedebat, vicesima manumissionum quae dicitur, inducta et a senatu accepta est (Liv. 7, 16). Sed hoc vectigal spectabat, quanti manumissus aestimaretur;[2]) in Thessalia autem res ita se habet, ut vectigal a lege accurate definitum sit. Praeterea lex est eum quoque libertum, quem manumissor conditione manendi (*παραμονή*) liberaverit, hanc definitam pecuniam urbi absolvere, neque is qui gratuito manumittebatur,

---

[1]) Litterae illae, quae in margine extant, fortasse melius ad nomina columnae sinistrae perditae referri possunt, ut suppleantur ita: *-ο[υ]* | *-άτου* | *-]ράτου*.

[2]) De hac re O. Hirschfeld uberius egit in libro „Die kaiserlichen Verwaltungsbeamten bis auf Diokletian“, Berolini 1905, p. 106 sqq.

hac pecunia liberabatur, quod ex hoc titulo (1299 II) facile colligi potest: *Ἀ(ρ)καδίων ὁ ἀπελευθερωθεὶς κατὰ δωρεὰν ὑπὸ Δικαιογένους τοῦ Ἀν[τιβί]ου ἔδωκεν τῇ πόλει τὰ γινόμενα [ἀργ]υρίου δ(ηνάρια) κβ<΄*. Qua re probatur magnum discrimen interesse inter pretium manumissionis et vectigal publicum.

Priore aetate solvebant liberti *στατῆρας δεκαπέντε*, postea decreto imperatoris Augusti mos fit illos nummos in denarios ita verti, ut duo stateres idem valeant ac tres denarii, quod ex titulo Pheraeo (415) paulo post a. 27 a. Chr. n. exarato[1]) facile intellegi potest; haec enim verba leguntur: *οἱ δεδωκότες ἐπ᾽ αὐτῷ* (i. e. *τῷ ταμίᾳ*) *ἀπελεύθεροι τῇ πόλει τοὺς ιε΄ στατῆρας κατὰ τὸν νόμον, ἅ γίνεται κατὰ τὸ διόρθωμα δ(ηνάρια) κβ<΄*.

Sed haec consuetudo paulatim inducta est; itaque saepius utraque nummorum forma in titulis commemoratur, quin etiam solus ille dimidius denarius in pecuniam graecam ita mutatur, ut quattuor oboli fiant. Hae prisci moris reliquiae nisi in titulis Augusti aetate exaratis non occurrunt.[2]) Idem numerus etiam in tituli n. 1042 III versu 74 restitui potest. Praeterea ectypo confirmatur quattuor signa illa rotunda (ο ⌅ ⌅),[3]) non tria esse legenda. Quae res nisi ita se haberet, hi nummi non recte mutati essent; nam octo oboli idem valent atque unus denarius et unus stater idem ac 12 oboli; recta igitur ratio in titulis adhibita est.

Interdum accidit, ut homines quidam pro liberto vectigal publicum absolvant. Ex exemplis concludi potest homines aliqua vicissitudine cum liberto coniunctos esse. In titulo enim Larisaeo (553, 30) pater pro se et pro filio definitam illam pecuniam absolvit, quod his fere verbis dicitur: *Νικόλαος Διοσκουρίδαιος τὸς γινομένος τᾶι πόλι κὰτ τὸν νόμον ἀργυρίοι στατεῖρας τριάκοντα.* Eodem modo in titulo n. 1290, 17 Philumene mater pro infante suo et pro se, quippe

---

[1]) Cf. Kroog, De foederis Thessalorum praetoribus p. 38.

[2]) Cf. 1295 b. 1296. 1297 II, III, IV, V. In III v. 32 Kern non recte [*δ(ηνάρια) κβ<΄*] supplevit, immo vero hoc addi oportet: *δ(ηνάρια) κβ΄ ὀ(βολοὺς) δ΄*.

[3]) Quae signa quid sibi velint, Keil et Hiller explicuerunt ad n. 1042 III.

cum ea atque eius *παιδάριον* manumittantur, vectigal publicum dat, ita ut in fine suppleamus haec:

> *[Φιλουμένη δ' ἔδω]κεν τῇ πόλει τοὺς*
> *[ἐκ τοῦ νόμου γινομένους στατῆ]ρας*
> *τριάκοντα.*

Quae cum ita sint, tertium huius generis non aliter explicari potest, quamquam non negamus, quin dilucide appareat illum virum, qui vectigal pro liberto absolvit aliqua propinquitate cum liberto uti. Haec enim verba extant in titulo Larisaeo (553, 25): *Νικάτουρ Μνασέαιος ὑπὲρ Ἀφροδισίας Δαϊμαχείας ὅς ἔφα*[1]) *ἀπειλευθερούσθειν ἀπὸ Δαϊμάχοι Θειριμαχείοι τὸς γινόμενος τῇ πόλι κατ τὸν νόμον ἀργυρίοι στατεῖρας ιε'.*

Ceterum vectigal publicum etiam in aliis Graeciae terris a servis manumissis urbi datur. Quae res cum in titulis Chaeroneae repertis (IG. VII 3301—3406. 3412) non recte cognita sit, has manumissiones accuratius inquiram. Formulae simili modo compositae sunt ac Thessalicae, quod hac tabula probatur:

IG. VII 3303:	*κὴ κατέβαλε τῦ ταμίῃ τῦ ἐπὶ τῶν ἱαρῶν τὸ γινούμενον δραχμᾶς ϝίκατι παραχρεῖμα*
3307:	*[κατέβαλε δὲ τὸ] γενόμενο[ν τῇ πόλι παραχρεῖμα]*
3339:	*[κατέβαλε δὲ παραχρ]εῖμα τεῖ ταμίῃ [τεῖ ἐπὶ τῶν ἱαρῶν τὸ γινιούμενον]*
3344:	*καὶ κατέβαλεν τὸ γινόμενον τ[ῆι πόλει παραχρεῖμα]*
3354:	*κατέβαλεν [τὸ τῷ ταμίᾳ τοῦ δή]μου γινόμενον [παραχρεῖμα]*
3406:	*[κατέβαλε δὲ τὸ γινόμενον παραχρῆ]μα εἴκοσι πέν[τε στατῆρας]*

Dittenberger passim verba *παραχρῆμα* supplere cunctatus est, cum neglexerit, quid verba sibi vellent. Certe servi

---

[1]) Hoc falsum esse Wilamowitz recte cognovit, verisimile est hunc errorem eo enatum esse quod ceteris locis verba *ὁ φάμενος* leguntur. Wilamowitz *τὰν ἔφα* incidi debuisse arbitratus est, quod littera T confirmari videtur, sed fortasse *ἃ ἔφα* emendari potest, cum mulier ipsa manumissionem suam declaret ante quaestorem.

iubentur statim (*παραχρῆμα*)[1]) hanc pecuniam urbi dare atque apparet hoc verbum in omnibus his formulis non omitti posse. Sed cum in altero titulo viginti drachmae absolvantur, qui idem valent ac decem stateres, in altero contra viginti quinque stateres, cum utraque in idem fere tempus spectet, eo concludimus tantum vectigal datum esse, quanti servus aestimaretur. Iam recordamur vicesimae manumissionum, quae apud Romanos vigebat, atque Romanos hunc usum a Graecis accepisse suspicamur.

Urbes Thessaliae ex hoc vectigali haud dubie magnas pecunias acceperunt. Atque nonnulli tituli facultatem dant has pecunias in annum facile efficiendi; velut Hali in urbe Achaiae Phthiotidis plenus titulus (109) extat, quo apparet priore semestre eius anni, cum Ptolemaeus praetor fuit, quaestorem urbis 150 stateres ex manumissionibus cepisse, posteriore semestre 90 stateres; sequenti autem anno 390 stateres exacti sunt.

Caput V.

De pretio manumissionis.

Ut in ceteris Graeciae civitatibus ita in Thessalia manumissum manumissori pecuniam quandam dare mos erat. Hoc pretium apud Thessalos *λύτρον* sive *λύτρα* nominatur. Etiamsi in titulis hoc *λύτρον* raro commemorari constat, tamen non ambigitur, quin manumissor manumissione facta pecuniam accipiat usitato more. Quod eo apparet, quod, cum libertus gratuito (*δωρεάν*) manumittitur, hoc titulis additur. Servum autem hanc pecuniam plerumque facile acquirere posse ex eo intellegitur, quod ei licebat res sibi comparare, sive in sordida arte versabatur sive aliud ad quaestum conferebat. Itaque titulis Delphicis artificium servi saepius commemoratur, in Thessalicis autem hoc raro fit. Duo exempla nobis occurrunt Hypatae 16, 16: *Ζώσιμος*

---

[1]) Idem verbum in duobus titulis Amorgi insulae (IG. XII 7, n. 237, 14. 19; 515 passim) similiter additum est.

ὑποδηματάριος ἀπὸ Δαμᾶ et Phalannae 1232, 4: *μαιηχανικοὶ ἀπὸ Νικοκλέους τοῦ Αὐτοβούλου.*

Iam quaerendum est, quae res fuerint, quibus pretium a servo manumissori datum indicatum est. Verisimile hoc ita factum esse, ut manumissor destinaret, quanti servum aestimaret. Quod ad reputandum fortasse peculium servi magnum momentum attulisse videtur.

Interdum hoc institutum ab editoribus non cognitum est, cum varie significetur. In titulo n. 102 b haec leguntur:

> *μηνὸς Κουραλίου Εὐβίοτος Σαμ[ίχου]*
> *[ἀπ]ελευθέρωσε τὰν ἰδίαν [θρε]π[τ]ά[ν* nomen]
> *Εὐβιότου λαβὼν παρ' αὐτᾶς λύτρα [τὰ] ἐκ τοῦ νόμου*
> *στατῆρας δεκαπέντε.*[1])

Quo in explicando editores in errore versati sunt, quia vectigal publicum et pecuniam manumissionis miscebant atque pro eodem putabant. Verbis enim *λαβὼν κτλ.* alia interpretatione mederi conabimur. Iam in priore capite exposui libertos urbi vectigal absolvere, quod lege ad quindecim stateres designatum est. De hac certa pecunia etiam hic agitur, quod verbïs *ἐκ τοῦ νόμου στατῆρας δεκαπέντε* probatur. Praeterea id spectandum est ut *τὸ λύτρον* commemoretur, quod manumissor Eubiotus accipit, atque accedit, ut lacuna illa versus sexti, ubi litterae *ΑΣΕ* cognitae sunt, supplementis careat. Unde fit, ut titulus ita describi possit:

> *λαβὼν λύτρα | [τᾶς] ἀ[π]ε[λευθερώσεως· ἔδωκε τὸ] ἐκ τοῦ νόμου | στατῆρας δεκαπέντε.*

Ceterum hic usus vario modo in titulis Thessalicis significatur, quod in titulo Azori 1293 c neglectum est. A versu 15 haec leguntur:

> *ἡ δεῖνα ἡ ἀπε[λευ]θερ[ω]θεῖσα ὑπὸ Ἀλεξίππου | [τοῦ Ἀλεξ]ίππου [ἔδωκεν] | τῇ πόλει τὰ γεινόμενα ἐκ τοῦ νόμ[ου] | καὶ τὸ ἑαυτῶν.*

---

[1]) Quae uncis non inclusa sunt, ego in ectypo legi; Eubiotus igitur simul manumissor et pater servae est, unde concludi potest hanc notham fuisse.

Hoc modo Kern hunc titulum protulit; sed praecipue id spectandum est, ut de utraque pecunia vectigali et pretio agatur.[1]) Itaque duo manumissores manumittunt atque titulus ita suppletur:

ὑπὸ Ἀλεξίππου [τοῦ Ἀλεξί] | ππου [καὶ τοῦ δεῖνος ἔδωκεν] | τῆι πόλει κτλ.

Iam in eo est, ut lucem petamus titulo nondum explanato. In primis tituli n. 102 a versibus praetore sine dubio initio commemorato haec leguntur:

. . . . . α τὸ ἀ[ργ]ύ[ριον?] | . . . . σαντον καὶ οἷς ἐποιησ? | [κατὰ] διανόησιν ἔδωκε τὸ ἐκ τοῦ [νόμ]ου στατῆρας ιε΄.

Quodcum in ectypo litteras *ἀργυ* cognoverim, dubium non esse potest, quin hoc loco verba *τὸ ἀργύριον* exarata sint; agitur de pretio, quod servus manumissori dare solet. Ex ceteris huius tituli formulis intellegi potest hunc locum nisi his supplementis non sanari posse:

[ἡ ἀπελευθερω | θεῖσα ὑπὸ . . . . | δοῦσ]α τὸ ἀργύ[ριον].

Iam certius iudicare licebit de ceteris, quae adhuc in latebris iacent. In sequenti versu equidem eadem, quae Kern exscripsit, ectypo identidem examinato cognovi. Haec leguntur: . . . . . *σαντον καὶ οἷς ἐποιησ* . . . . Quoniam in priore versu de pecunia illa actum est, quam manumissores accipiunt, nihil verisimilius esse potest quam quod hi iam inducuntur. Itaque non dubito huic loco ita mederi: [*ὑπὲρ τῶν ἀπελευθερω*]*σάντ*[*ω*]*ν καὶ οἷς ἐποίησ*[*ε τὸ δυνατὸν*]. Nam per errorem lapicidae littera *ο* pro *ω* exarata est, quo vitio tituli abundant.

Praeterea hoc dicendi genus illis verbis simile est, quae in titulo Azori n. 1296 recte suppleta extant: *δο*[*ῦσαν τὰ λύτρα διὰ τὴ*]*ν ὑπὸ τούτων ἀπελευθέρω*[*σιν*].

Etiamsi extrema illa verba *οἷς ἐποίησε τὸ δυνατὸν* mirum in modum composita sunt, tamen de hac oratione non dubitari potest, quia exemplis probatur. In versu 7 tituli n. 1290 haec

---

[1]) Eodem modo etiam in titulo n. 1268 utrumque secernitur: *δοῦσαν λύτρα κὲ τῇ πόλει τὰ γινόμενα δηνάρια κβ<΄.*

leguntur: [ποιοῦντες τὸ ἐ]πιτασ(σ)όμενον καθ[όντινα τρόπον ἀνεγκλήτως][1]) atque in titulis Delphicis Boeotiae Phocidis aliarum regionum formulae huic similes saepius exaratae sunt.

Iam de titulo Metropolitano agam, qui singularitate quadam excellit (n. 280). Titulus apographo a viris doctissimis Heuzey et Daumet iam pridem facto notus est, sed diligenti scrutatione plenus titulus, ni fallor, effici potest. In quattuor prioribus versibus haec leguntur:

[. . . . . ἐκ τ]οῦ δοθέν-
[τος . . . . ἐκ] τῶν κοινῶν τῆς
[πόλεως προσόδων ἀπηλευθερωμέν]οι ὑπὸ Κλεομάχας τῆς Κλεομέ-
[νους ἔδωκαν τὸ γινόμενον τῆι π]όλι δηνάρια με΄ ταμίαι Λέοντι Ἀντι-
. . . . .

Ex his supplementis ab Hillero feliciter excogitatis facile cognosci potest, quantus litterarum numerus in ceteris versibus desideretur. Ab urbe aut pretium manumissionis aut vectigal publicum absolvi potuit. Sed hoc postea commemoratur. Itaque solo de pretio manumissionis cogitari potest, unde verba λύτρα δοῦναι alicubi esse supplenda intellegimus. Haec supplementa probantur hoc titulo Angearum n. 228 c:

[Ῥ]οδ[ία] | Κρατό | λα Θυσ | κολεαι? | καὶ Κλει- | ταγόρα | ἀπελευ | θερωθε[ῖσ] | αι ὑπὸ Χα | ριλάου ξ | ενικῇ. ἔ | δωκεν | ἡ πόλις | τὸ [ἀργύρι] | ον διὰ | [τ]οῦ Κα[λ] | λικρά[τ] | ους [τοῦ] | [τ]αμ[ίου] | [τῆς π]ό[λεως].[2])

Urbs igitur ipsa pro manumissis Charilao pretium absolvit, quod factum est per Callicratem, qui sine dubio munere quaestoris

---

[1]) Cf. p. 110.

[2]) In primo versu aut Ῥοδία (IG. IX 2, 1042 II; SGDI. 1743) aut Ῥόδιον (SGDI. 1968. 2102. 2106. 2233) suppleri potest; cf. etiam Bechtel, Attische Frauennamen, p. 58 et 103. In extremis versibus extant litterae *AM* in ligatura et *ENO*, quas ita emendamus, ut urbis magistratus temporis definiendi causa appareat.

functus est. Sed redeamus ad titulum 280, cuius primus versus haec habet haud dubie recte suppleta: [ἐκ τ]οῦ δοθέν[τος]. Sed haec verba quid sibi velint, difficile est enucleare. Duo servi manumittuntur, quod ex ceteris quae extant, praecipue ex vectigali quadraquinta quinque denarium facile colligi potest. Alter eorum pecuniam ex fisco urbis accipit. Verbis ἐκ τοῦ δοθέντος titulus n. 1282 commodo esse videtur. Nam haec leguntur: λα[βόντες λύτρον παρ]ὰ Μεθύστου τοῦ Σωσιβίου [ἀργυρίου δηνάρια] ἑκατὸν πεντήκοντα.[1]) Methystes Sosibii filius hoc loco pecuniam manumissionis absolvit manumissoribus, quae res etiam in titulo Metropolitano alteri manumisso accidit. Itaque titulus hoc modo plenus fit:

[Στρατηγοῦντος τοῦ δεῖνος nomina libertorum λύτρα
δόντες, ὁ μὲν ἐκ τ]οῦ δοθέν-
[τὸς ὑπὸ τοῦ δεῖνος nomen patris ἀργυρίου, ὁ δὲ ἐκ]
τῶν κοινῶν τῆς
[πόλεως προσόδων ἀπηλευθερωμέν]οι κτλ.

Iam quaerendum est, qua de causa et urbs ipsa et alii manumissis ita faverint. Quod ad gratiam urbis attinet, in eam opinionem deferimur, ut liberti, qui hoc beneficio afficiuntur, de urbe aliquo modo bene meriti sint. Difficilius est diiudicare, quid sit, quod homo quidam liberti loco pecuniam manumissionis absolvat. Verisimile est rem ita se habere, ut servus, qui haud tanto peculio praeditus est, ut pretium manumissionis dare possit, ab altero homine hanc pecuniam petat, ita ut postea facultate data huic resolvat.

Quem usum si recte interpretati sumus, iam tituli cuiusdam Delphici reminiscamur, in quo Apollodorus quidam manumissionis pecuniam liberti loco manumissori absolvit, quod his verbis exprimitur: ἐπεὶ ἔδωκε Ἀπολλόδωρος ὑπὲρ Φαινέαν Νικοῖ τὰς πέντε μνᾶς (SGDI. 1723).

Praeterea in titulo Larisaeo n. 559 usus quidam manumissionis, qui similis generis videtur esse, obvenit. Haec leguntur:

---

[1]) In sexto huius tituli versu potius [Εὐπ]άτρα legendum est, quia lacuna tres tantum litteras continet; de libertae nomine supplendo ambigi potest, sed forsitan [Κ]αφ[ι]σ[ί]αν emendes, cf. Bechtel, l. l. p. 54.

παρὰ Εἰσιδώρας τῆς φαμ[έν]ης ἀπ[η]λευθερῶσθαι πράσ[ει] ὑπ[ὸ Φι]λέ[ρ]ωτος τοῦ Δημητρίου. Haec manumissio ita fit, ut dominus pecunia ab altero accepta libertum vendat, qui hac venditione liber fit. Hic mos non abhorrere videtur ab illo usu, quem supra exposui. Ceterum haec *πρᾶσις ἐπ' ἐλευθερίᾳ* etiam apud Athenienses in usu erat.[1]) Si Plutarcho fidem habemus, qui in libro *περὶ δεισιδαιμονίας* IV p. 166 d haec affert: *ἔστι καὶ δούλοις νόμος ἐλευθερίας ἀπογνοῦσι πρᾶσιν αἰτεῖσθαι,* haec venditio saepius ex servorum arbitrio videtur esse facta. Sed prisco more deus quidam servum emit, etiamsi reapse hic ipse pecuniam dat; quae sacra forma vigebat apud Delphos Boeotos aliasque gentes.[2])

Interdum accidit, ut manumissor liberto bene merito pecunia manumissionis condonet, quod in titulis verbis *δωρεάν, δωρεᾶς, κατὰ δωρεάν* aut similibus significatur. Velut hunc morem n. 1117 praebet: *ἀπηλευθε[ρώθη] Τρύφενα ὑπὸ Χάρι[τος τῆς] Ἀνικήτου [δ]ωρεᾶς.*[3]) Praeterea hic usus in titulo Metropolitano (n. 278) et in duobus Azori repertis (n. 1296 et 1299) occurrit. In aliis quoque regionibus manumissores eadem liberalitate usos esse ex duobus titulis apparet. In titulo Chaeroneae (IG. VII 3332) servus quidam *ἐπὶ δωρεᾷ* manumittitur, atque in titulo Anapae urbis Chersonesi Tauricae haec leguntur: *ἀφείομεν τὴν θρεπτὴν δωρεάν* (cf. Gräfe, Inscr. gr. in mém. de l'Acad. imp. des sciences de St. Petersburg, ser. VI, tom. 6 [1844], p. 12 sq.).

Singulare aliquid praebent omnes fere tituli in paeninsula Magnesia reperti. Neque enim usquam vectigal publicum, sed sola pecunia manumissionis commemoratur.[4]) Postea aetate imperatorum

---

[1]) De hac re oratores Attici potissimum Hyperides et Demosthenes nonnulla afferunt, cf. G. Foucart, De libertorum condicione apud Athenienses, Lutetiae Parisiorum 1896, p. 14 sq.

[2]) De hac re egit P. Foucart in Mémoire sur l'affranchissement des esclaves par forme de vente à une divinité d'après les inscriptions de Delphes, Lutetiae Parisiorum 1867; cf. etiam Rec. des inscr. jur. gr. II 2 p. 251 sqq.

[3]) Quia in lacuna sex tantum litterae deesse videntur, haec supplementa proposui.

[4]) Propter hanc rem atque propter mensium nomina etiam tituli Pagasarum n. 359 b et c ad Magnesiam pertinent.

Romanorum illud vectigal etiam apud Magnetas in consuetudinem venisse videtur, quia in titulo n. 1115 verbo *ὀνοματισμός* indices indicuntur neque usquam pretium afferri videtur. Sed de hac re nihil certi enucleari potest, quia titulus initio valde mutilus est. Quem usum cum editores non semper recte interpretati sint, nonnullos titulos diligentius explicare atque sanare oportet. Itaque licebit titulos n. 1100 b II et III paululum inspicere. Quia eorum litteratura elegantissima et ligaturis praedita est atque verbum *μηνός* compendio scriptum est, etiam verbum *στρατηγοῦντος* ita scriptum esse verisimile est. Accedit, ut ex extremo versu facile cognoscamus, quantus litterarum numerus in singulis versibus desideretur. Sed maioris momenti est, quod *τὸ λύτρον* postulandum est. Hoc igitur modo titulus plenus fit:

> . . . . *της ἠλευθέρω[σεν] | [κατὰ τὸν νόμον] Ναΐδα Δημητρίου | [λύτρον δοῦσαν δηνάρια.] μηδενὶ προσή- | [κουσαν κατὰ μηδέ]να τρόπον.*

Quae cum ita sint, ultimam formulam ad illam pecuniam manumissori datam esse referendam manifestum est, qua absoluta liberta *Ναΐς* iam neque manumissori neque ulli homini quicquam debet.

Titulus n. 1100 b III simili modo compositus est. Iam e verbo *λύτρον* duodecimi versus apparet de pretio manumissionis, non de vectigali publico agi. Ectypo autem examinato in fine huius versus litteram *ς* cognovi. Itaque dubitari non potest, quin versus hoc modo sanetur: *λύτρον τῆς [ἀπελευθερώσεως]*. Sed quaerendum est, utrum manumissor pecuniam accipiat (*λαβὼν παρ' αὐτοῦ*) an manumissus hanc det (*δοὺς ὑπὲρ ἑαυτοῦ*). Haec quaestio quomodo diiudicanda sit, e verbis *μηθὲν ἐπιζητησ* . . colligi potest. Quae verba in eandem sententiam cadere mihi videntur atque illa, quae in fine prioris tituli leguntur, etiamsi negari non potest inter utrumque aliquid interesse. Illic agitur de manumisso, qui nihil iam debet; hic declarat manumissor ipse se nihil ultro petere nisi pecuniam manumissionis. Nam ei licebat libertum ad opera quaedam perficienda retinere aut condicionem manendi postulare. Haec qui reputaverit, quamquam exemplis hoc dicendi genus stabiliri non potest, tamen non dubitabit, quin titulus hoc modo supplendus sit:

[*Στρ(ατηγοῦντος) τοῦ δεῖνος*] *μη(νὸς) Δημητριῶνος*
. . . . *ιαιος ἀπελευθέ-*
[*ρωσεν κατὰ τοὺς Μαγ*]*νήτων νόμους*
[*τὸν δεῖνα λαβὼν παρ'*] *αὐτοῦ λύτρον τῆς*
[*ἀπελευθερώσεως δ(ηνάρια). μη*]*θὲν ἐπιζητήσ*[*ας*].

Quae si recte explanata sunt, facile est intellectu, quomodo titulus 1116 b explicandus sit. Haud dubie enim e verbo *λαβεῖν* elucet Metradoram manumissoris vice fungi. Quae si ita sunt, hunc titulum verisimile est sic sine offensione legi:

Μητραδώρα Εὐ[*μ*]*άρου* [*ἀπηλευθέρωσεν τὸν δεῖνα*]
[*λ*]*ύτρο*[*ν*] *λαβοῦ*[*σα*] *παρ' α*[*ὐτοῦ δ(ηνάρια)*.].[1])

Quantam iam pecuniam manumissi manumissori absolvere consueti sint, ex hac tabula apparet:

n. 1117 III	*δ(ηνάρια)*	*τ'*
n. 1118 a	„	*σ'*
n. 1119 I	„	*σ'*
n. 1119 II	„	*σ'*
n. 1119 III	„	*σν'*
n. 1282	„	*ρν'*

Quamquam perpauci tituli hos numeros praebent, tamen ex hoc indice apparere videtur libertos multo maiorem pecuniam dedisse vectigali publico.

Caput VI.

De manumissoribus.

Iam quaerendum est quibus hominibus licuerit in Thessalia servos manumittere. Cives urbium Thessalicarum hanc potestatem habuisse constat neque dubitari potest, quin cives alterius urbis in altera hoc ius exercuerint. Veluti Larisae duo incolae Gonni urbis (n. 564) et Atrace civis Larisaeus (n. 474) servos manumittunt.

[1]) Mea quidem sententia nomen *Εὐμάρης*, quod Hiller maluit, illi Kernii coniecturae *Εὐπ*[*ό*]*ρου* praeferendum est, cum non de littera *α*, sed de *π* legenda ambigatur.

Peregrini etiam in urbe aliqua Thessaliae versantes non vetabantur servis libertatem dare, sed secundum ius urbis id facere cogebantur. Cuius rei exempla complures tituli praebent; veluti Pheris Euboeus quidam manumittit (n. 415), Hali incolae Eretriae urbis Euboeae (n. 110 a 10 et 110 b 7), Larisae duo Parii et Antiochenses quidam et mulier Nicopolitana (n. 568), Gonni Beroeaeus quidam (n. 1042 I). In hoc extremo exemplo haec leguntur: *Ῥοῦφα καὶ Κλείταρχος ὑπὸ Λυσιμάχου τοῦ Πτολεμαίου Βεροιαίου,*[1]) *ἀφέωκεν*[2]) *αὐτὰ ἐλεύθερα ξενικῇ.*

Quin etiam libertis licebat manumissionem peragere. Hoc ita fit, ut nomini liberti patroni nomen in titulis addatur. Nam consueto more manumissor *προστάτης* liberti fit,[3]) qua ex re concludi potest hunc manumissioni illi quam libertus eius fecit interfuisse; nonnulla exempla huius generis in titulis Thessalicis occurrunt. Veluti in titulo Hypataeo n. 21, 6. 7 haec leguntur: *Οἰκονομία Ἐπίτευξις Ἀβάσκαντος Τυχικὴ*[4]) *ἀπὸ Κλείτου τοῦ Πολυξένου ἀπελευθέρου ξενικῇ.*

Praeterea Larisae complura exempla inveniuntur:

n. 562	*Σύρα ὑπὸ Ἀγαθανγέλου τοῦ Θέωνος ἀπελευθέρου*
n. 555, 2	*[Εὐγ]ένεια ἡ ἀ[πηλευθε]ρωμένη ὑπὸ Φιλοδώρου τοῦ Εἰσιδώρας ἀπελευθέρου*
n. 555, 4	*Θάλλουσα [ἡ] ἀπηλευθερωμένη ὑπὸ Νείκης τῆς Πολυδεύκου ἀπελευθέρας*
n. 546, 25	*Λεοντὼ ὑπὸ Φιλοδή[μου] τοῦ Εἰσιδώρας ἀπελευ(θέρου).*

---

[1]) Beroea urbs Macedoniae, cf. Oberhummer, Pauly-Wissowa III 304 sq. De eius titulis sepulcralibus cf. Leake, Trav. in North. Greece III 292.

[2]) Haec forma ad illam linguae aetatem, quae *κοινή* dicitur, spectat; cf. Kühner-Blass II p. 201, 4 *ἕωκα* pf. Herodian Et. M. 176, 45 sqq. tab. Heracl. I 153, Her. 2, 165 *ἀφέωνται* N. T. cf. Blass, Neutestamentliche Grammatik p. 50 et G. Curtius, Verbum II² 238.

[3]) Cf. Hermann-Thalheim, Griech. Rechtsaltertümer⁴, p. 29.

[4]) Haec nomina a lapicida non per errorem dupliciter incisa sunt. Nam ex nonnullis exemplis apparet compluribus libertis eiusdem manumissoris idem nomen fuisse cf. 16, 2. 3; 19, 5; 514: *Δημητρία καὶ Δημητρία ὑπὸ Θεοτίμας.* Erravit igitur Wilhelmus in corr. ad IG. IX 2, 21.

Prioribus exemplis collatis atque re bene cognita dubium non esse potest, quin compendium in n. 546, 25 ad *ἀπελευ(θέρου)* supplendum sit. Praeterea conici potest duo titulos, quamvis litteris secernantur, in idem tempus cadere, atque in titulo 546 non *Φιλοδ[ήμου]*, sed *Φιλοδώρου* emendandum esse. Huc referenda sunt nisi fallor tituli Perrhaeborum verba haec (n. 1268 IX): *Παράμονος ὁ ἀπελευθερωθ[εὶς] ὑπὸ Φιλίππ[ου] [υἱ]οῦ δὲ τῆς Χάριτος ἀπ[ελ]ευθέρας.* Hic Philippus filius libertae significatur atque iure eius patrona additur. Nam in errore versatur is, qui Charitem libertam esse arbitretur; immo vero Charis patrona filii huius libertae est. Quae res si ita se habet, facile intellegis, cur illa verba addita sint.

Ut Athenis, ita etiam in urbibus Thessaliae magistratus servis utebantur ad negotia publica perficienda. Huius generis servum lapis sepulcralis Larisae n. 871 memoriae prodidit his verbis scriptus: *Ὑάκινθε Λαρισαίων δημόσιε ἥρως χρηστὲ χαῖρε.* Quae vox in eundem sensum cadit atque illud Romanum servus publicus. Nimirum accidit, ut hi servi ab urbe libertatem accipiant, ut in Thessalia unum exemplum invenitur Atrace, ubi haec in titulo n. 464 leguntur: *Πάμφιλος Διονυσίου ὁ ἀπελευθερωθεὶς ὑπὸ τῆς Ἀτραγίων πόλεως κατὰ τὸν νόμον.* Apud Delphos hanc manumissionem praebet solus titulus SGDI. 1706: *Ἄρχοντος Εὐδώρου, μηνὸς Δαιδαφορίου ἀπέδοτο ἁ πόλις τῶν Δελφῶν τῶι Ἀπόλλωνι τῶι Πυθίωι σῶμα ἀνδρεῖον, ὧι ὄνομα Εὐτυχίδας ἐνδογενῆ τιμᾶς ἀργυρίου μνᾶν τεσσάρων, καθὼς ἐπίστευσε Εὐτυχίδας τὰν ὠνὰν τῶι θεῶι, ἐφ᾽ ὅτωι ἐλεύθερον εἶμεν καὶ ἀνέφαπτον ἀπὸ πάντων τὸν πάντα βίον, καὶ τὰν τιμὰν ἔχει πᾶσαν. Βεβαιωτὴρ κατὰ τοὺς νόμους τᾶς πόλιος ... μάρτυροι ...*

Interdum complures servum manumittunt; veluti in titulis Hypataeis haec exempla occurrunt:

n. 13 *Φίλων καὶ Κλεόμαχος καὶ Φίλων*
l. l. *Ἀκρίων καὶ Πολέμαρχος καὶ Ἀκρίων*
l. l. *Μένανδρος καὶ Μένανδρος καὶ Φίλιππος.*

Qui viri quin aliqua necessitudine inter se coniuncti sint, dubium non est; atque ita fit, ut pater eiusque filii servum libertate donent. Nonnulla exempla ita finguntur, ut haec

consanguinitas occultetur. Neque tamen dubium esse videtur, quin propinqui significentur. Manumissor enim solus nomine affertur, sed heredes eius certe una cum illo manumittere ex huiusmodi formulis concludimus:

n. 14 *οἱ περὶ Σωσύλαν*; n. 349 b *οἱ περὶ Μνησίμαχον.*

Itaque mirum non est, quod saepius maritus et uxor una servos manumittunt:

n. 18 *Σώσανδρος καὶ Λανίκα*; n. 25 *Νικόμαχος καὶ Ἁρμόστα.*

Raro fit in titulis Thessalicis, ut homines quidam manumissioni assentiantur, qui usus apud Delphos[1]) aliasque gentes tenetur. Sed nonnulla exempla haud scio an statuenda sint. Ac primum quidem de loco quodam tituli Lamiensis agam, cuius verba sunt haec (n. 76, 14 sq.): *Στρατονίκα ἠλευθερώθη [ὑπὸ τᾶς δεῖνος] τᾶς Χαύρου*[2]) *ΣΥΕΥΔΟΚΕΟΣ ΜΕΙ.* In ultimi versus emendatione aliquid dubitationis haeret; sed Fickium recte *συ(ν)ευδοκέο[ντο]ς* supplevisse certum est, quoniam in tituli fine haec formula legitur. Ex ceteris exemplis apparebit illum virum, qui manumissioni assentiatur atque cuius nominis reliquiae extant, aliqua affinitate cum manumissore coniunctum esse. Quod iam probatur hoc Meliteae titulo n. 206 II b, ubi leguntur: *Ὀνασὶς Σκόπα ἀπὸ Σίμας τᾶς Περδίκκα συνευαρεστέοντος καὶ τοῦ υἱοῦ αὐτᾶς Μνασιλαΐδα τοῦ Ξενοφάντου.* Hoc loco alia vox eandem rem significat, neque aliter explicamus locum tituli Gomphorum n. 288, ubi haec extant rursus alia voce adhibita: *ἀπὸ Καλλιδίκης τῆς Ἀπολλωνίου συνε(ι)πόντων καὶ τῶν τέκνων Νικάρχου (καὶ) Κωτίλας τῶν Δικα(ι)άρχου Σωσίας Νικάρχου,* unde hoc stemma enascitur:

Ἀπολλώνιος

Δικαίαρχος ‿ *Καλλιδίκη*

paelex ‿ *Νίκαρχος* | *Κωτίλα*

Σωσίας

---

[1]) Cf. Rec. des inscr. jur. grecques II 2 p. 253 sq.

[2]) Hoc nomen titulo Larisaeo n. 741 confirmatur.

Kallidice Nicarchi mater hanc manumissionem perfecit, unde concludi potest Dicaearchum iam mortuum esse. Sed quaerendum est, quae causa sit, cur Nicarchus ipse non manumiserit. Hoc factum esse videtur, quia hic minor annis erat. Itaque etiam soror, quae possessionis servi particeps est, manumissioni assentitur. Ultro servus hac manumissione in libertorum partem venit atque a familia agnoscitur, quo fit, ut filii vitium corrigatur. Nova huius usus vox occurrit in titulo Atracensi n. 474, cuius initium his verbis scriptum est: *[Ἀ]καία*[1]) *ὑπὸ Παρμενείας τῆς Ἑρμίππου συνεπαινούντων Μενίπ(π)ου καὶ Φιλίππου τῶν Δαματρίου.* Quia tria nomina verbo *ἵππος* ficta sunt, hos homines aliqua necessitudine inter se coniunctos esse verisimile est, atque filios ipsos ut heredes illi manumissioni assensos esse suspicamur, quam mater marito mortuo perfecisset. Quamobrem habemus hoc stemma:

Ἕρμιππος
|
Δαμάτριος‿Παρμένεια

Μένιππος — *Φίλιππος*

Denique duo exempla huius generis in titulo Pythii n. 1282 inveniuntur, quae propter nonnullas difficultates non neglegenda sunt. A versu 14 haec leguntur:

> *Τιμὼ Πο[...... καὶ ......] | [γ]ένεια Ἀνδρομάχου Με[............ ἐκ | γ]νώμης Ἀριστόνου τοῦ Λε-[.......... τὴν ἑ | α]υτῶν δούλην ἀφῆκαν ἐλευθέραν [κατὰ τὸν νόμ]ον.*

Hic duo mulieres *Τιμώ* et *....γένεια* manumissionem perficiunt, cui assentitur Aristonus, quia servus parte quadam eius est. Sed quaerendum est, quomodo hi homines inter se coniuncti sint; de fratre cogitari non potest, cum diversi patres afferantur. Verisimilius esse videtur matrem et filiam manumittere filiae marito assentiente.

---

[1]) De hoc nomine non dubitamus, quia masculini forma *Ἀκαῖος* in nummo Dyrrhachii (Mion. II 38) adest. Praeterea initio versus nulla iam littera deesse videtur.

Iam in eo est, ut versibus 36 sqq. emendando medeamur, cum huic rei commodo sint. Quae in apographo leguntur, velim hoc modo explices:

[Ὀλυμ]πία Π[ο-]
λυστράτου καὶ οἱ υἱοὶ αὐτῆς Κλεογένης καὶ Πολύ-
[σ]τρατος οἱ Ἐπικράτους συνε[υδοκ]ουσῶν Ε[ὐρυ-]
[με]νοῦς vel Ε[ὐθυμε]νοῦς καὶ Δημοφίλας τῶν
Ἐπ[ικρ]άτο[υς κ]α[ὶ]
[τοῦ] ἀνδρὸς Ἀριστομάχου τοῦ Εὐ[ρυμε]ν[οῦ]ς [καὶ]
[τοῦ ἀ]νδ[ρ]ὸ[ς] τοῦ Δημοφίλας Ἀριστ[. . . . τὴν ἑαυ-]
[τῶν δ]ού[λην ἀφῆκαν ἐ]λευ[θέ]ρα[ν nomen κατὰ]
τὸν νόμον κτλ.

Verba tradita cum mutila et obscura sint, corrigendo ad sanam orationem cogere temptavit Wilamowitz. Nos quoque eadem via proficiscentes explorato orationis consilio aliam sententiae formam restituimus. Res enim ita se habere videtur: cum Epicrates pater familias de vita decesserit, uxor et filii eius servam quandam manumittunt atque filiae earumque mariti assentiuntur. Itaque huius familiae stemma adest hoc:

Πολύστρατος
|
Ὀλυμπία ‿ Ἐπικράτης

Κλεογένης Πολύστρατος Δημοφίλα ‿ Ἀριστ . . . Εὐρυμενώ ‿
Ἀριστόμαχος

Caput VII.

De condicione manendi, quae *παραμονή* appellatur.

In Graecia servis libertas donabatur absoluta quaedam et perfecta, ut patronus nulla retineat iura; sed interdum fit, ut manumissis hoc bonum aliquo modo minuatur, cuius usus diversae formae occurrunt. In titulis Thessalicis nulla alia ratio invenitur nisi illa, quae verbo *παραμονή* significatur. Quod inter scriptam et ratam manumissionem intercedit temporis, liberti, dum vivat, dominus vel is, apud quem dominus eos esse voluerit, ad quaedam

servilia opera praestanda obligantur. In tituli Halensis n. 109 v. 61 sq. de tribus servis, quos Menecles Nicasimachi filius manumisit, hoc constituitur: *παραμενοῦντι δὲ οἱ προγεγραμμένοι παρὰ Μενεκλεῖ, ἕως ἂν ζῆι.* In alio huius rationis exemplo (n. 1282, 24) iubetur libertus manere apud utrumque manumissorem, quam ob rem proponimus hanc medelam:

Ἀριστογένης [Κτησίου καὶ Εὐπάτρα]
Ἀριστοξένου Ἰσιδώραν τὴν ἑαυτῶ[ν δούλην ἀφῆκαν]
ἐλευθέραν κατὰ τὸν νόμον, παρα[μενεῖ δὲ, ἕως ἂν]
[ζ]ῇ Ἀριστογένης Κτησίου καὶ [Εὐ]πά[τρα Ἀριστοξένου].

Haec condicio manendi apud patronum usque ad vitae finem promota etiam in titulis Delphicis aliarumque regionum invenitur veluti SGDI. 1715, ubi haec extant: *παραμείναντες, ἄχρι κα ζώη Ἀγαμήστωρ.*[1])

Haec simplex manendi forma vario modo augetur et minuitur, ita ut a liberto postuletur, ut tres aut quinque aut decem annos officiis erga patronum fungatur. Titulus huiusmodi n. 221 quomodo explicandus sit, adhuc ab editoribus non cognitum est, cum difficile sit diiudicatu, quantum spatium ab utroque latere desideretur. Ex nomine *Ἡρακλείδας* aliquid certi assequimur, quia et in accusativo et in nominativo occurrit. Quae cum ita sint, dubium non est, quin hic homo servus existimandus sit. Quae formula hic exspectetur, monstrant haec exempla:

n. 323 *ἀφῆκαν ἐλε[ύθερον] τὸν δεῖνα*
n. 102 b *ὁ δεῖνα ἀπηλευθέρωσεν τὸν δεῖνα.*

Illa vero antiquiore aetate in usu fuisse videtur. In altero loco hic *Ἡρακλείδας* iubetur manere apud patronum, quae res significatur verbo *παρά,* quod in ectypo legitur post illud nomen. Quod si recte interpretati sumus, in versu 5 de pretio manumissori dando, in fine de vectigali publico agi elucet. Huc accedit, quod ectypo examinato in versu 4 cognovi has litteras: *ΠΑΡΑΡ.* Iam in eo est, ut titulum plenum proferam:

---

[1]) Cf. etiam SGDI. 1689. 1702. 1703. 1714. 1719. 1721. 1731. 1752. 1801. 1826. 1846. 1865. 1866. 1870. 1931. 1967. 1972. 1975. 2014. 2034.

[Στρατηγοῦντος τοῦ δεῖνος μ]ηνὸς Ἑρμαίου λοι[πῶν . . . . .
ταγευ-]
[όντων . . . .] εος τοῦ Διονυσίο[υ . . . .]
[. . . . . Δ]υσίππου τοῦ Ἀγρέστα Ἀ[ρχέλαος . . . .]
[ἀφῆκεν ἐλεύθερον] Ἡρακλείδαν Ἀρχελ[άου . . . .]
[λύτρον λαβὼν παρ'] αὐτοῦ στατῆρας . . . .
[Παραμενεῖ δὲ Ἡ]ρακλείδας παρ' Ἀρ[χέλαον . . . .]
[πρὸς τοῦ γεγρ]αμμένου ἔτη δ[έκα . . . .]
[ἔδωκε τὸ γι]νόμενον τᾶι πό[λει στατῆρας δέκα πέντε].

Quin initio praetor suppleri possit, non ambigitur, praeterea in versibus 2 et 3 utrum ταμίαι an ταγοί exarati sint, in tenebris iacet; sed numero tres fuisse certum est. Verba πρὸς τοῦ γεγραμμένου quid sibi velint, in dubium vocatur, quia incertum esse videtur, quidnam hoc modo significetur. Mea quidem sententia manumissor scripto aliquo decrevisse videtur libertum decem annos munere fungi. Hoc scriptum nisi testamentum non existimari potest; qua de causa in versu 4 supplendum est κατὰ διαθήκην.

Denique de titulo Pythii n. 1290 I agendum est, qui a dextra parte fractus magnas difficultates praebet. Cum ex ectypo aliisque huius generis titulis novas et lectiones et emendationes proferre possimus, singulos versus diligenter examinari oportet. Initio tempus per praetorem mensem diem significari manifestum est; deinde sequitur manumissor, cuius patrem in lacuna supplemus. Ex versibus 3 et 4 clare elucet Philumenam eiusque infantem manumitti; itaque emendamus: Φιλουμένην τὴν ἑα[υτοῦ θρεπτὴν καὶ τὸ αὐ]τῆς παιδάριον. Unde colligimus 18 litteras desiderari. In versu 5 solemnis illa formula occurrit ἀφῆκεν ἀπελευθέρο[υς κατὰ τὸν] νόμον. Quibus supplementis quia lacunam non expleri apparet, id verbum videtur deesse, quod persaepe hoc loco in titulis Delphicis occurrit, quo vetatur libertus tangi ab aliquo.[1]) Quod si ita interpretamur, lacuna hoc modo plena fit: ἀφῆκεν ἀπελευθέρο[υς καὶ ἀνεφάπτους κατὰ τὸν] νόμον; unde colligimus 22 litteras esse supplendas. Qua re probatur 20 fere litteris opus esse in lacunis effarciendis,

---

[1]) Cf. SGDI. 1689. 1701 multaque alia exempla, quibus probatur hanc vocem etiam tum addi, cum manumissori placeat, ut libertus apud ipsum maneat.

atque versum 4 ita explicari posse: *τὸ ἑαυτῆς παιδάριον ᾧ [ὄνομα . . . . οἰκογενές ἀφῆ]κεν*, quo modo saepe in titulis Delphicis liberti inducuntur et significantur. Iam quaerendum est, quid in versu sexto desideretur, quod maximi momenti esse mihi videtur, quia hoc versu cetera supplementa constituuntur; sed priusquam hanc quaestionem perducam, versum 16 accuratius inspici oportet, quippe qui omnem dubitationem tollat. De duobus enim manumissis agi et de uno tantum manumissore constat. Itaque nihil aliud supplemus nisi *ἀπελευθερω[θέντων . . .]*. Quod cum passim pluralis extet, Philumena eiusque infans significantur manumissi. Quae si ita sunt, titulis Delphicis usus haec supplementa proferre audeo:

παραμενέ[οντι οἱ δ' ἀπελεύθεροι παρ' Ἀ-]
μύνταν, ἕως ἂν ζ[ῇ Ἀμύντας, ποιοῦντες τὸ ἐ-]
πιτασ(σ)όμενον καθ[όντινα τρόπον ἀνεγκλήτως].[1])

Liberti igitur iubentur omnia mandata quam optime perficere, id quod apud Delphos crebro recurrit varie compositum; e. g. haec affero:

IGDI. 1701: *ποιῶν τὸ ποτιτασσόμενον πᾶν τὸ δυνατὸν ἀνένκλητος ὤν.*
1865: *ποιέοντες τὸ ποτιτασσόμενον τὸ δυνατὸν Μενάνδρῳ*
2024: *παραμεινάντων δὲ Ζωπύρα Σωσίχα παρὰ Νεοπάτραν, ἄχρι κα ζώῃ Νεοπάτρα, ποιέουσαι τὸ ποτιτασσόμενον πᾶν τὸ δυνατὸν ἀνεγκλήτως.*

Ex hoc exemplo etiam apparet manumissorem saepius bis nominari.[2]) Iam exponitur, quid fiat, si manumissor de vita decesserit. Quod cum in titulis Delphicis hac condicione data denuo confirmetur libertos libertate frui, non alienum esse videtur etiam hoc loco similiter emendare: *[Ἐ]ὰν δὲ τελευτήσ[ῃ Ἀμύντας, ἐλεύθεροι ἔστων] Φιλουμένη τε καὶ ἑ[αυτῆς παιδάριον*

---

[1]) Quas litteras Kern non dedit, ego in ectypo cognovi.

[2]) Cf. 1972, ubi haec leguntur: *παραμεινάτω δὲ Σωσικράτεια παρὰ Σῖμον, ἕως κα ζώῃ Σῖμον*; praeterea hic usus in n. 1975, 2014 aliisque titulis occurrit.

nomen]. Quae libertas quo accuratius explicetur, haec adduntur: *οἷς καὶ ἐξέστω οἰκ[ῆσαι καὶ χρήματα κτήσασ]θαι, οὗ ἂν αἱρῶνται [μηδενὶ μηδὲν προσήκοντες]*. Hilleri supplementum (*οἰκίαν καὶ γῆν κτήσασθαι*) lacunae non sufficit, sed simile aliquid hic desideratur; quo commotus illud supplevi. Arbitrio igitur libertorum, quippe qui nullis iam officiis obligati sint, permittitur, quid velint facere; praeterea iis licet apud Amyntae heredes manere, quod his verbis exponitur: *ἐὰν βούλωνται, μ[ενόντων παρὰ τοῖς ἐπινό]μοις τοῖς Ἀμύντου.*[1]) Quomodo sequentia explicari possint, difficile est dictu, quia reliquiae *ΊΕΙΠΤΟΥ* omni interpretandi arti obsistere videntur. Res nescio an propter verba *κατὰ μηδ[ένα τρόπον]* ita explicetur, ut, quicumque temptet sive manumissor sive heredes sive alius vir, libertum tangere vetetur. Quod eo verisimilius est, quia formulae huiusmodi crebro in titulis Delphicis inveniuntur; exemplo sit

SGDI. 1713: *εἰ δέ τις καταδουλίζοιτο Ἡράκλειτον, κύριος ἔστω αὐσαυτὸν συλέων καὶ ἄλλος ὁ θέλων καὶ ὁ βεβαιωτὴρ βεβαιούτω.*

Atque in titulis Phocidis saepius haec oratio obvenit: *μὴ καταδουλιξάσθω δὲ αὐτοὺς μηθεὶς μηδὲ καθ' ὁποῖον τρόπον.* Ex his concludi potest hunc locum his fere verbis scriptum esse [*μὴ ἐπιλαβέσθω μήτε Ἀμύντας* . . . .] | *ΊΕΙΠΤΟΥ κατὰ μηδ[ένα τρόπον μήτε ἄλλος τούτων] τῶν ἀπελευθερω[θέντων]*. Quodcum in versu 16 genetivus legatur, fieri non potest, quin verbum velut *ἐπιλαμβάνεσθαι* hoc loco postuletur.

Quid in versu 16 desideretur, ex titulo 1282 cognoscimus, quia idem magistratus (*ὁ ταγὸς τῆς πόλεως*) inducitur. Iam in eo est, ut totum titulum explicamus ita:

Στρατηγοῦντο[ς τοῦ δεῖνος nomen patris *Ὁμό-]*
[λ]ῴου δευτέρᾳ Ἀμ[ύντας . . . . πείπτου Φι-]
λουμένην τὴν ἑα[υτοῦ θρεπτὴν καὶ τὸ αὐ-]

---

[1]) Cum in ectypo litteram *μ* cognoverim atque lacuna ita bene tollatur, hoc supplementum certum esse videtur. Praeterea hanc vocem similibus locis etiam tituli Delphici praebent; cf. SGDI. 1717. 1718. 1812. 1909. 1979. 2034. 2090. 2126. 2202; Dittenberger, Syll.² 860. 861. 862.

τῆς παιδάριον, ᾧ [ὄνομα . . . . οἰκογενές, ἀφῆ-]
κεν ἀπελευθέρο[υς καὶ ἀνεφάπτους κατὰ τὸν]
νόμον, παραμενέ[οντι οἱ δ' ἀπελεύθεροι παρ' Ἀ-]
μύνταν, ἕως ἂν ζ[ῇ Ἀμύντας, ποιοῦντες τὸ ἐ-]
πιτασ(σ)όμενον καθ[όντινα τρόπον ἀνεγκλήτως·]
[ἐ]ὰν δὲ τελευτήσ[ῃ Ἀμύντας, ἐλεύθεροι ἔστων]
Φιλουμένη τε καὶ ἑ[αυτῆς παιδάριον nomen,]
οἷς καὶ ἐξέστω οἰκ[ῆσαι καὶ χρήματα κτήσασ-]
θαι, οὗ ἂν αἱρῶνται [μηδενὶ μηδὲν προσήκοντες·]
ἐὰν βούλωνται, μ[ενόντων παρὰ τοῖς ἐπινό-]
μοις τοῖς Ἀμύντου· [μὴ ἐπιλαβέσθω Ἀμύντας . . . .]
ΠΕΙΠΤΟΥ κατὰ μηδ[ένα τρόπον μήτε ἄλλος τούτων]
τῶν ἀπελευθερω[θέντων· κοινὸς ξενοδόκος·]
ταγὸς Διονύ[σ]ι[ο]ς [nomen patris· Φιλουμένη δ' ἔδω-]
κεν τῇ πόλει τοὺς [ἐκ τοῦ νόμου γινομένους στατῆ-]
ρες τριάκοντα.

Interdum haec *παραμονή* tolli poterat, sive manumissus officiis erga patronum diligenter functus erat sive manumissor de vita decedebat, ut in priore titulo commemoratum est. Duo exempla in titulis Thessalicis repperiuntur. In titulo n. 1044 haec leguntur: *Λέαινα ἡ ἀπελευθερωθεῖσα ὑπὸ Νικοβούλου τῆς παραμονῆς ἔδωκεν τῆι πόλει τὰ γινόμενα δηνάρια κβ<'*. Praeterea titulus Azori n. 1296 singularitate quadam praeditus in idem cadit: *Με . . . . . . ὁ ἀπελευθερωθεὶς ὑπὸ Λέοντος τοῦ Θυ[. . . . . . ἀ]π[ο]λ[υ]θεὶς τῆς παραμονῆς ὑπὸ Ἀσ . . . . . . τοῦ Εὐμήλου ἔδωκε τῇ πόλει δηνάρια κβ' ὀβολοὺς δ'*. Cum litteras non accurate in lapide cognitas esse verisimile sit, emendamus *ἀπολυθείς*; nam illud verbum *πρ[α]χθείς*, quod Kern non sine aliqua dubitatione supplevit, neque in simplici neque in composita forma hanc sententiam praebere potest. Praeterea apud Delphos nihil aliud verbum nisi *ἀπολύειν* extat.[1]) Argumentum est hoc: manumissor decrevit, ut libertus apud Eumeli filium, non apud ipsum maneret. Sed mirum in modum accidit, ut libertus eodem anno, quo manumissus est, ab hoc viro condicione manendi liberetur. Quomodo hoc declarari possit, ex titulis nonnullis Delphicis

[1]) Cf. SGDI. 1919. 2157. 2167. 2200. 2210.

dilucide apparet. In SGDI. 2192 Irana Prepusan manumittit ea condicione, ut maneat, dum Irana vivat; sed facultas ei datur prius ex hoc officio abeundi hoc decreto: *εἰ δὲ θέλοι προαπελθεῖν, δότω Πρέπουσα Ἰράναι ἀργυρίου μνᾶς πέντε καὶ ἀπολελυμένα ἔστω τᾶς παραμονᾶς.* Qua gratia *Πρέπουσα* postea usa est, qua de re in n. 2210 hoc modo agitur: . . . . *ἀπέδοτο Ἰράνα Νικία, συνευαρεστέοντος καὶ συνπαρόντος καὶ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτᾶς Φιλονίκου τοῦ Νικία τῶι Ἀπόλλωνι τῶι Πυθίωι σῶμα γυναικεῖον, ἆι ὄνομα Πρέπουσα, τιμᾶς ἀργυρίου μνᾶν πέντε, καὶ τὰν τιμὰν ἀπέχει πᾶσαν, καθὼς ἐν τᾶι παραμονᾶι γέγραπται ἀπολελυμέναν εἶμεν κτλ.* Similis ratio occurrit in SGDI. 2199: *εἰ δὲ θέλοι προαπελθεῖν Ἀπολλωνία, δότω Θεοδώραι ἀργυρίου μνᾶς τρεῖς καὶ ἀπολελυμένα ἔστω τᾶς παραμονᾶς·* quem titulum paulo post *ἡ ἀπόλυσις τῆς παραμονῆς* (2200) sequitur. Colin quoque nonnulla exempla huius generis detexit.[1]) Sed redeo e deverticulo in viam.

Manumissor igitur libertum ea condicione manumisisse videtur, ut remaneat, nimirum facultate data hoc officium omittendi. Iam verba *ἀπολυθεὶς τῆς παραμονῆς ὑπὸ τοῦ δεῖνος* alteram explicationem admittere videntur. Eumeli enim filius illam pecuniam liberti loco absolvit, ita ut hic liber fieret, quod eodem anno factum est aut eodem tempore, quia vectigal publicum a liberto semel tantum datum est.

Caput VIII.

De manumissionibus *κατὰ διαθήκην* et *κατὰ διανόησιν* factis.

Iam prius cognovimus servum ita manumissum esse, ut urbi vectigal, manumissori pecuniam manumissionis daret. Hic

[1]) Hic vir doctissimus postremo in hos titulos inquisivit et plus quam centum novos edidit, quorum hanc manendi condicionem praebent: Bull. Hell. XXII n. 33. 34. 36. 41. 48. 57. 60. 63. 71. 73. 75. 77. 84. 86. 89. 92. 94 III.

sollemnis mos passim adhibitus nusquam aliis rationibus attingitur. Itaque plane aliam interpretationem postulare verba *κατὰ διανόησιν* apparet. Haec vox difficilis intellectu perraro in titulis occurrit. Praeterea ita affertur, ut nihil certi cognosci possit. Sed exempla ipsa afferam, nequis credat me cavillari. In titulo Halensi Augusti aetate exarato hoc verbum ter legitur (n. 109 b, 19. 38. 44), ut e. g.: *Πυθόνικος Ἀρχέα ἀπελευθερωθεὶς κατὰ διανόησιν ὑπὸ Ἀρχέα τοῦ Θεοκρίτου ἔδωκε τᾶι πόλει τὸ ἐκ τοῦ νόμου στατῆρας ιε'*. Eiusdem generis sunt cetera huius tituli exempla, ut omnia afferre supervacaneum sit. Itaque longe aliam rationem secuti apud scriptores vel in inscriptionibus verbi sententiam assequi conamur. Velut in Platonis scriptis legitur, ubi et deliberationem et, quod ex ea efficitur, opinionem significat.[1]) Iam quaerendum est, quis hoc loco deliberet, manumissor an servus. Nimirum ille, qui secum reputat, utrum servum libertate donet necne. Sed alterum titulum inspiciamus, qui huic quaestioni auxilium ferre potest, atque memoria teneamus eum servum, qui *κατὰ διανόησιν* manumittatur, secundum manumissoris deliberationem hoc dono affici. Alter Azori titulus n. 1301 b hoc modo recte suppletus est: *Πίστος ὁ ἀπελευθε-[ρω]θεὶς κατὰ δι[α]θήκην ὑπὸ Φιλοξένου, [κατὰ διανό]ησιν δ[ὲ ὑπὸ] Φιλου[μεν]οῦ τοῦ Εὐ[δο]κίμου ἔδωκε τῇ [πόλει δ]η(νάρια) κβ<'*. Quo loco idem servus a Philoxeno *κατὰ διαθήκην*, a Philumeno Eudocimi filio *κατὰ διανόησιν* libertate afficitur. Praeterea manumissione *κατὰ διαθήκην* iam facta illam alteram sequi elucet.

De manumissione testamento facta adsunt sex exempla, quorum tria ab editoribus neglecta sunt; sed singula examinabo. In titulo n. 221, de quo iam in priore capite (p. 109) egimus, obveniunt verba *πρὸς τοῦ γεγραμμένου*. Simile dicendi genus etiam in manumissionis instrumento Chaeroneae reperto (IG. VII 3405) invenitur, ubi verba *κατὰ τὰ γεγραμμένα* in titulo valde mutilo leguntur. Neque tamen dubitari potest, quin haec verba ad testamentum spectent. Itaque in illius tituli

---

[1]) Cf. leg. 888 c: *μείναντα ἐν ταύτῃ τῇ διανοήσει* et Tim. 90 d; multo crebrius aliae voces eiusdem notionis *διανόημα* et *διάνοια* apud Platonem inveniuntur, cf. Astii lex. Plat. s. v.

Thessalici versu 4 verba *κατὰ διαθήκην* addi possunt, cum iam ibi hanc rem attingi oporteat.

Similis usus etiam in titulo Larisaeo n. 546 invenitur: *Ἀγέλη ὑπὸ Ἀλεξάνδρου τοῦ Νικαίου τοῦ ἐπιτρόπου Βαχχίου καὶ Γαλάτου, καθ' ἣν ἐποιήσατο διαθήκην Βάχχιος.* Bacchius igitur pater servam Agelam manumitti testamento iussit; quoniam eius filii Bacchius et Galates minores sunt natu, eorum tutor Alexander Nicaei filius hoc officio fungitur. Simile aliquid extat in titulo n. 1040 b, ubi mater simul tutrix libertorum est; nam haec leguntur: *Ἀπολλώνιος ὑπό τε Δημοκράτους καὶ Μνησιλόχου τῶν Θεοδώρου καὶ ὑπὸ Ὀρθοπόλεως τῆς Δικαιοκράτους τῆς μητρὸς καὶ ἐπιτρόπου Θεοδώρου καὶ Κασάνδρας τῶν Ἐπινείκου.* Ex quibus enascitur hoc stemma:

Θεόδωρος — *Δικαιοκράτης*

Δημοκράτης — *Μνησίλοχος* — *Ἐπίνεικος* ⌣ *Ὀρθόπολις*

Θεόδωρος [1]) — *Κασσάνδρα*

Unde concludimus Epinicum patrem de vita decessisse.

In simile fere argumentum cadit titulus Demetriadis n. 1118 b, cuius verba sunt haec:

4 *[στρ(ατηγοῦντος) Ἐπαφρο]δίτου τοῦ Ἀριστάνδρου,*
μ(ηνὸς) Ἡφαιστι[ῶνος Ἀμμ]ία Λέοντος ἠλευθέρωσεν
5 *[τὸν δεῖνα κ]αθ' ἣν ἔθετο ⟨διατο⟩ διαθήκην.*

Iam ratiocinati, quis testamento servum manumiserit, Ammiam ipsam hoc perfecisse videmus. Nam cum propter litteraturam verbum *στρατηγοῦντος* in ligatura scriptum esse verisimile sit, in versu 5 nisi servi nomen non desideratur. Itaque concludimus apud Thessalos ius fuisse mulieribus manumissiones proferre testamento.

Multo difficilius est exquirere, quomodo duo loci tituli n. 1296 explicandi sint. Ex Kernii memoria in versu 2 lectio adest certissima:

---

[1]) Cum hic Theodorus ab illo altero, qui avus existimandus est, sine dubio nomen acceperit, Epinicus filius Theodori et frater Democratis et Mnesilochi esse videtur.

. . . . *ΕΙΣΘΗΚ ἀπὸ Πε[τ]αλο[ῦ τοῦ Ἀμύντου]* [1])
[ἔδωκεν τῇ πόλ]ει τὰ γεινόμενα δ[(ηνάρια) κβ' ὀ(βολοὺς) δ']

Cum formula solemnis adhibita sit, initio versus vocem *[ἀπελευθερωθ]εὶς* suppleri posse manifestum est. Reliquiis *θηκ* duo tituli ansam dant, quorum alter Thespiis, alter Lebadeae (IG. VII n. 3083) exaratus est. In hoc instituta sunt haec: Zoilus servum nomine Andricum ea condicione manumittit, ut decem annos apud eius matrem maneat, quod pater testamento decrevit. Sed si mater longius vivit, Andricus iubetur solvere pecuniam quandam testamento definitam. Praeterea nonnullae condiciones commemorantur, quae praetermitti possunt, quia ad hanc rem non spectant. Sed melius erit hanc tituli partem verbo tenus afferre: *Δωΐλος Ἰρανήω ἀντίθειτι τὸν ϝίδιον θεράποντα Ἀνδρικὸν τῦ Δὶ τῦ Βασιλεῖι κὴ τῦ Τρεφωνίο ἱαρὸν εἶμεν παρμείνοντα πὰρ τὰν ματέρα Ἀθανοδώραν ϝέτια δέκα, καθὼς ὁ πατεὶρ ποτέταξε· ἡ δέ κα ἔτι δώει Ἀθανοδώρα, εἶσι Ἀνδρικὸς φόρον τὸν ἐν τῆι θείκηι γεγραμμένον κτλ.*

Ex hoc exemplo dilucide apparet *θήκην* idem valere ac *διαθήκην*. Quod confirmatur titulo Thespiarum, ubi Aristodama servum manumittit iussu filii Agea (*κὰτ τὰν ἐντολὰν τοῦ παιδὸς Ἀγέαο*). Postea haec leguntur: *κὴ ὁ παῖς Ἀγέας ἐν τῇ θείκῃ κατέλιπε.*[2]) Qua ratione probata dubium non est, quin initium tituli Thessalici sic sine offensione legatur: [*ὁ δεῖνα ἀπελευθερωθ]εὶς θήκ(η) ἀπὸ Πε[τ]αλο[ῦ τοῦ Ἀμύντου] κτλ.*

Iam contingit, ut eodem modo alteri loco eiusdem tituli medeamur. In versu enim 26 inveniuntur hae reliquiae *ΙΚΙ*, qua ex causa idem verbum *θήκῃ* emendari posse constat. Sed totum locum diligenter inspici oportet, ut cognoscatur, quomodo nonnulla emendem:

[Ἀριστοτέλης] Δημοχάρου καὶ Ἀδέας Φιλώτου
[. . . . . καὶ] Δημοχάρης Ἀριστοτέλους ὁ υἱὸς
[Δημοχάρου θ]ήκ[η] Ζωσίμην ιΦΙΙΞΑ τῶν οἰκετ?

---

[1]) E versu 13 nomen recte suppletum est.
[2]) Cf. Vollgraff, Bull. Hell. XXV (1901), p. 361 n. 2, qui eandem sententiam profert.

[κατὰ τὸ τούτοις] ἀρεστὸν ἀφῆκαν ἐλευθέραν δο[ῦσαν]
[τὰ λύτρα διὰ τὴ]ν ὑπὸ τούτων ἀπελευθέρω[σιν]
[προσήκουσαν μηθ]ενὶ κατὰ μηθένα τρόπον· ἔδω[κεν]
[τῇ πόλει τὰ γινό]μενα δ(ηνάρια) κβ΄ ὀ(βολοὺς) δ΄.

Ex toto huius tituli tenore concludimus, alterum Democharem patrem, alterum filium esse. Itaque fieri non potest, quin initio versus Aristoteles filius alterius Democharis legatur atque Demochares huius Aristotelis pater testamento servum manumiserit. Sed qua necessitudine ille Adeas cum his usus sit, difficile est intellectu. Fortasse non in errore versamur arbitrati, Philotam patrem et Adeae et Democharis avi fuisse.[1]) Quod si recte interpretati sumus, hoc habemus stemma:

Φιλώτας

Δημοχάρης — Ἀδέας
|
Ἀριστοτέλης
|
Δημοχάρης

Iam quaerendum est, quid verba *κατὰ τὸ τούτοις ἀρεστὸν* sibi velint. Etiamsi emendationem illam [*Εὐ*]*αρεστὸν* a Kernio esse prolatam non ignoro, tamen alia via uti cogor. Nam cum in fine de una tantum serva agatur, hic alter servus supervacaneus est. Verbum *τὸ ἀρεστὸν* hoc loco idem valet ac *τὸ ἀρεσκόμενον* atque illam manumissionem significat, quae aliis locis *κατὰ διανόησιν* perficitur. Iam tota res ita se habere mihi videtur: Secundum Democharis avi testamentum heredibus deliberatione facta placuit Zosimam servam manumitti. Itaque hi heredes pretium manumissionis accipiunt. Quae si ita sunt, recordamur tituli illius iam antea prolati. Hoc loco Philoxenus servum testamento manumisit atque Philumenus heres hoc mandatum perfecit; hic autem Philumenus frater Philoxeni existimari potest, praesertim cum duo nomina a verbo *φιλεῖν* derivata sint. Denique eadem res in titulo n. 1115 nobis occurrit, sed alio modo significatur. In versu enim 15 Kern emendavit

---

[1]) Haec necessitudo fortasse in illa lacuna octo litterarum significata est verbis *ὁ ἀδελφός*.

[κατὰ] λογισμὸ[ν],[1]) quae verba recte se habere nemo non intellegit, qui nostrae argumentationi assentitur. Itaque Wilhelmi opinionem, cui *Λόγισμος* servae nomen esse videbatur, praefracte denegare cogimur.

Caput IX.

De *ξενικῇ λύσει.*

Praeter has manumissionis rationes, quae modo proposuimus, alia in usu erat apud Thessalos, quae multo maiore difficultate praedita saepius a viris doctis tacta est. In titulis enim interdum verbum *ξενικῇ* adest voce *λύσει* sive *λυτρώσει* multo saepius omissa quam addita (n. 27. 28. 1043 a). Sed omnia exempla afferam, ut cognoscamus, quo tempore haec ratio apud Thessalos in usu fuerit atque quid rei sit.

In indicibus Hypataeorum haec vox saepius hoc modo apparet (n. 21, 4): *Σεκοῦνδα ἀπὸ Σώ[σου] ξενικῇ.* Quamquam hic usus Hypatae crebro fuisse videtur, tamen quinque servorum manumissoris Asclepiadis solus Alexander hoc praemio ornatus est, his verbis titulo n. 21 additis: *Ζωΐλος Παραμόνου ὁ γεγονὼς ἐπιμελητ[ὴς] τῶν ἀπελευθερικῶν χρημάτων προσ[α]ν[α]φέρω καὶ Ἀλέξανδρον Ἀσκληπιάδου ἀπελεύθερον ξενικῇ δεδωκότα μοι τὰ τῆς στηλογραφίας (δηνάρια) κβ<΄.* Omnes huius urbis inscriptiones hanc vocem praebentes aetate imperatorum exaratas esse cum ex praetoribus[2]) tum ex illis verbis elucet, quae in versu sexto tituli n. 13 leguntur hoc modo: *[ἔτους] σεβαστοῦ ἑβδόμου Καίσαρος [Γερμα]νικοῦ Σεβαστοῦ, τοῦ καὶ τρι[ακοσ]τοῦ καὶ ἑβδόμου.*

In titulis Lamiensium quod verbum *ξενικῇ* nusquam legitur, mirum non est, cum pauci et satis mutili extent. In Achaia Phthiotide duo tantum tituli Angeae (228 c) et Meliteae (207 c) hoc verbum praebent. In titulis Hestiaeotidis satis raro invenitur:

---

[1]) In ectypo litterae *ATA* cognoscuntur.

[2]) Cf. Kroog p. 49 sqq.

Gomphis semel (n. 289 c), Aeginii bis (n. 325 b. 327 b), Cyretiis quater (n. 339, 5. 340 a 5. 342. 345) *ξενικῇ*.

Haec omnia exempla iam propter literaturam in imperatorum tempora spectant. Solus titulus n. 339 iam primo a. Chr. n. saeculo incisus esse videtur propter communes litterarum formas. Ad idem fere tempus titulum Larisaeum n. 559, cuius in initio verbum *ξενικῇ* legitur,[1] pertinere inde colligi potest, quod eaedem formulae litteraeque occurrunt atque in titulo 539, quem secundo saeculo exeunte insculptum esse constat. Praeter hunc locum duo exempla in Pelasgiotide inveniuntur; sunt tituli sepulcrales ita compositi:

n. 851 *Ἀκοῦτε*[2]) *Λυκίσκου ἀπελεύθερε ξενικῇ ἥρως χρηστὲ χαῖρε*

n. 866 *Συναπόδημε Ἀλεξίππου ἀπελεύθερε ξενικῇ ἥρως χρηστὲ χαῖρε.*

Quinque loci in duobus Gonni titulis aetatis Augusti,[3]) cum verba *κατὰ τὸ Καίσαρος κρίμα* in versu 22 legantur, *ξενικῇ* praebent (n. 1042, 12. 24. 47; 1043 a 2. 11). Magnesiae tres tituli hoc verbo ornati imperatorum aetate exarati sunt propter litteraturam atque praetores (n. 1115, 12. 13; 1118 a 3; 1119 III 8).

Denique in duobus Perrhaeborum titulis *ξενεκῇ* invenitur (n. 1268, 32; 1296, 20), quorum alter secundo post Chr. n. saeculo propter ligaturas, alter propter obolos aetati Augusti vindicandus est.

Hic locus fortasse hoc modo emendari potest:

> *Σωσύλα ἀπελευθερωθεῖσα ὑπὸ | [. . . . . . τ]οῦ Ἁρμοδίου Σεβαστήου Λαρεισαίου | [πολίτα] Δολίχης δω[ρ]εὰν ξενικῇ ἔδωκε τῆι πόλ | [ει τὰ γινόμε]να δ(ηνάρια) κβ' ὀ(βολοὺς) δ'.*

---

[1]) V. 1 sqq.: [*παρὰ τῆς δεῖνος τῆς φαμ*]*έ*[*ν*]*ης* [*ἀπηλευθερῶσθαι*] *ξενικῇ ὑπὸ Ἀντιγόνου.*

[2]) Hoc nomen servile est usitatissimum apud Romanos cf. Thes. ling. Lat. I 471; G. Schulze in Corr. ad n. 845 iure praefert nomen *Ἀκούιος* i. e. Acuvius, cum sit nomen gentile, cf. Thes. ling. Lat. I 253.

[3]) Cf. etiam Kroog, p. 32 sqq.

Praeterea duo tituli Dodonaei, qui propter dialectum ad antiquiorem aetatem spectant, hoc verbum praebent (SGDI. 1351. 1360). Sed in ceteris Graeciae terris nusquam invenitur.

Omnibus exemplis prolatis iam in eo est, ut recordemur, quomodo viri docti adhuc iudicaverint. Ussing[1]) suspicatus est eos manumissores, qui *ξενικῇ* manumitterent peregrinos fuisse. Sed tantum abest, ut ille recte iudicaverit, ut a rebus ipsis plane aberraverit; multi enim peregrini in titulis manumittunt verbo *ξενικῇ* omisso. Locus solus tituli n. 1042 peregrinum praebet hoc modo: *Ῥοῦφα καὶ Κλείταρχος ὑπὸ Λυσιμάχου τοῦ Πτολεμαίου Βεροιαίου, ἀφέωκεν αὐτὰ ἐλεύθερα ξενικῇ.* Haec mira opinio iam eo refutatur, quod eidem homines modo *ξενικῇ* manumittunt, modo simpliciter libertatem dant. Veluti in tituli urbis Dolichae n. 1268 versibus 14 sqq. haec leguntur: *Λεοντὶς ἡ ἀπηλευθερωμένη ὑπὸ Φίλας τῆς Εὐβιότου ἔδωκεν τῇ πό(λει) τὰ γεινόμενα (δηνάρια) κβ<'.* Porro in v. 31 sqq. ab eadem muliere duo servi *ξενικῆι* manumittuntur: *Παράμονος καὶ Σα[μ]βατίων*[2]) *οἱ ἀπελευθερωθέντες ὑπὸ Φίλας τῆς Εὐβιότου ξενικῇ ἔδωκαν τῇ πό(λει) ἕκαστος (δηνάρια) κβ<'.*

Heuzey[3]) comparans verbum *ξενοδόκοι* libertos hac singulari manumissione *ξένους* fieri arbitratus est.

Restat, ut inquiramus paucis in Durrbachii[4]) rationes. Qui vir doctissimus ex opinione Duchesnii[5]) servos *ξενικῇ* manumissos peregrinorum fieri coniecit, qua ex causa post singulas manumissiones tituli cuiusdam additus esset *ὁ κοινὸς ξενοδόκος*, quo praesente vectigal publicum quaestori daretur a libertis.

---

[1]) Inscr. graec. inedit. Havniae 1847, p. 25.

[2]) Hoc nomen Wilamowitz recte proposuit, cum in titulo 538 *Σαμβατίς* legatur. Cf. etiam G. Schulze in Corr. ad n. 898, qui inter *Σαμβα[θίων]α* et *Σαμβα[τίων]α* haesitat.

[3]) Le mont Olympe et l'Acarnanie p. 473: *Je pense, que ξενικῇ est mis ici adverbialement et veut dire, que l'affranchi sera mis sur le pied des étrangers domiciliés.*

[4]) Bull. Hell. X (1886) 449.

[5]) Cf. Mission au mont Athos n. 159 et Arch. des missions 1876, p. 313.

Haec extrema verba spectant ad nonnullos titulos, qui singulari interpretatione digni sunt, quid sibi velint ut cognoscatur. Triccae titulus n. 302 a praebet hoc:

[ἡ δεῖνα η ἀπ]ελε[υ]θερωθεῖ[σα] ὑπὸ Ἀντι-
[. . . . .] τοῦ Παραμόνου ἔδωκεν τὰ γινό[μενα]
[ἀντὶ] τῶν στατήρων τῇ πόλει (δηνάρια) κβ<' ταμίᾳ Εὐ[ρυ-]
νόῳ Ἡρακλείδου ἐναντίον ταγοῦ Ἀντιπάτρου
τοῦ Ἀντιγόνου καὶ κοινοῦ ξενοδόκου Διογένους
τοῦ Διονυσίου κτλ.

Cum in ceteris huius lapidis manumissionibus hoc additamentum desit, fieri non potest, quin in hac re aliquid singulare fuerit; quod confirmatur titulo Larisaeo n. 558, ubi liberti quidam ante hunc publicum testem libertatem accipiunt, itaque *ὁ κοινὸς ξενοδόκος* hoc modo additur:

. . . .
[κατὰ τὸν νόμον τοὺς] στατῆρας δεκαπέντε· [ἡ δεῖνα ἡ φα-]
[μένη ἀπηλευθερῶσθαι ἀπὸ . . . . τοὺς γινο-]
μένους τῇ πόλει ἐ[να]ν[τίον κοινοῦ ξενοδόκου nomen *(κατὰ τὸν νόμον)*[1] *τοὺς στατῆρας δεκαπέντε· ἡ δεῖνα ἡ φα-]*
μέν[η] ἀπηλευθερῶσθαι [ἀπὸ . . . . τοὺς]
γινομένους τῇ πόλει ἐναντίον [κοινοῦ ξενοδόκου nomen *κατὰ τὸν]*
νόμον τοὺς στατῆρας δεκαπέντε· [nomen *ἡ φαμε-]*
νη ἀπηλευθερῶσθαι ἀπὸ Λεοντοδάμας τῆς [δεῖνος τοὺς γινομέ-]
νους τῇ πόλει ἐναντίον κοινοῦ ξενοδόκου Ἐπι[. . . . . . κατὰ τὸν νόμον]
τοὺς στατῆρας δεκαπέντε· [nomen *ἡ φαμένη ἀπηλευθερῶσθαι ἀπὸ κτλ.*].

Cum huius tituli initium desit atque cetera satis mutila sint, difficile est dictu, quod argumentum exspectetur. Cum formulae

---

[1]) Haec verba, quod spatium non abundat, a lapicida omissa sunt.

eandem compositionem praebere videantur, titulus ita suppleri potest, praeterea nonnulli huius urbis tituli has formulas testantur (n. 539. 553). Iure igitur in versu nono nomen magistratus exspectatur, praesertim cum verbum *ἐπιδιδόναι,* quod Kern voluit, nusquam in manumissionum titulis inveniatur. Quae cum ita sint, titulum tempore per magistratus definito putamus ita exorsum esse: *οἱ ἀπελεύθεροι ξενικῇ καὶ δεδωκότες τὸ γινόμενον τῇ πόλει στατῆρας ιε'.*

Iam tituli n. 1282 recordamur, ubi singulis manumissionibus *ξενοδόκοι* additi sunt. Hic enim titulus similem indicem praebet ac Larisaeus; praeter *τὸν ταγὸν,* qui *κοινὸς ξενοδόκος* significatur, nonnulli testes privati (*ἴδιοι ξενοδόκοι*) manumissionibus intersunt, numero tres aut quattuor. Praeterea in titulo n. 1290 *ὁ ταγὸς Διονύσιος* hoc munere functus esse videtur, si versus 16 a me recte emendatus est.

Denique hic *κοινὸς ξενοδόκος* in fine tituli n. 489 a invenitur, ubi haec leguntur:

καὶ τὸ ψήφισμα τοῦτο κυρῶσα[ι] κατὰ τὸ[ν νό-]
[μον]· ὁ κοινὸς ξενοδόκος Νεοπτόλ[εμ]ος Πολυκλ . . .
[κατ]ὰ τὸ ψήφισμα ὑπὸ τοῦ ἐν μ . . . . ου λε . . .
ΕΩ . . ΟΥ.

Hoc loco Neoptolemus publicus testis est, cum Gorgias ab urbe Phaytto civitatem acceperit. Sed dilucidius intellegi non potest, qua de causa hic magistratus hoc loco appareat, cum extrema verba obscura sint.

Iam quaerimus, cur hic magistratus in manumissionum titulis inveniatur. Certe aliquid singularitatis habet, quod ante hunc magistratum servus vectigal publicum quaestori absolvit atque non sine aliqua causa hic publicus testis adest. Mea quidem sententia res ita explanari potest libertum singularem ordinem in urbe accepisse. Cui opinioni auxilium fert titulus quidam in insula Rhodo repertus (IG. XII 1, 383), qui his verbis exaratus est:

Ἐπιγόνου Ῥοδιοπολίτα μετοίκου ἐλευθερω-
θέντος ὑπὸ τᾶς πόλεως καὶ ξενωθέντος ὑπὸ
τᾶς βουλᾶς καὶ τοῦ δάμου καὶ χοραγήσαν-
τος δίς.

Hic vir primo libertate donatus, deinde *ξένος* factus est.

Idem discrimen apud Thessalos fuisse videtur; neque enim dubium est, quin illi liberti, qui *ξενικῇ λύσει* manumittuntur, *ξένοι* fiant, neque aliter interpretamur illas manumissiones, ubi servus *ἐναντίον κοινοῦ ξενοδόχου* vectigal publicum absolvit. Uterque igitur usus in idem argumentum cadit.

Appendix.

De Thessalorum fastis.

Theodorus Bergk[1]) primus de Thessalorum mensibus fusius egit inscriptiones ab Ussingio editas diligenter perscrutatus, cum hoc calendarium omnibus Thessalis esse commune[2]) explicuit etiamsi hanc opinionem ex paucis titulis collectam paululum praematuram fuisse non negemus. Multo posteriore tempore materia iam aucta E. Bischoff[3]) in hanc rem feliciter inquisivit. Sed cum ab hoc tempore novae inscriptiones in lucem prodierint, totam materiam denuo colligere et recensere licebit.

Ex titulis Larisaeis evadunt hi fasti:

Mensis			
Ἰτώνιος			n. 1344 (Ἰτώνιος – Ἀγαγύλιος)
Πάνημος	n. 540 (Πάνημος, Θεμίστιος)	n. 554 (Πάνημος – Ἑρμαῖος)	
Θεμίστιος			
Ἀγαγύλιος			
Ἀπολλώνιος	n. 559 (Ἀπολλώνιος, Ἑρμαῖος)		
Ἑρμαῖος			

Mensis			
Λεσχανόριος n. 561		n. 546 (Λεσχανόριος – Ὁμολῷος)	
Ἄφριος[4])	n. 544 (Ἄφριος – Ὁμολῷος)		
Θῦος n. 561			
Ὁμολῷος		n. 567 (Ὁμολῷος, Ἱπποδρόμιος)	n. 563 (Ὁμολῷος – Φυλλικός)
Ἱπποδρόμιος	n. 561 (Ἱπποδρόμιος, Φυλλικός)		
Φυλλικός			

De sede mensium *Ἑρμαίου* et *Ἀπολλωνίου* nihil enucleari posse censet Hiller;[5]) sed ex titulis 554 et 559, ubi in versu 17 *Ἀπολλώνιος*, in versu 22 *Ἑρμαῖος* menses nominantur, illum

---

[1]) Cf. Zeitschr. f. d. Altertumswissenschaft V (1847) 1096 sqq.

[2]) *Die Inschriften zeigen übrigens, dass dieser Kalender ein ganz Thessalien gemeinsamer war.*

[3]) De fastis Graecorum antiquioribus Leipz. Studien VII (1884), p. 319—343 et Neue Jahrb. f. Phil. 145 (1892), p. 479—484.

[4]) Hic mensis etiam in tituli n. 568 versu 4 extat.

[5]) In mensium indice ad IG. IX 2.

ordinem supra prolatum assequimur. Praeterea dubitatio haeret in versu 12 tituli n. 1344, quo loco Hiller prius mensem Dium et postea[1]) cura iterata [Ἑρμ]αίο[υ] supplevit. Ex litteris autem traditis elucere videtur utramque emendationem esse satis incertam. Nam cum antea Ἰτώνιος Πάνημος Θεμίστιος in recto ordine sequantur, incredibile est in versu 12 lapicidam erravisse mensem Ἑρμαῖον ante Ἀγαγύλιον insculpentem. Itaque ibi verbum παρά latere rati emendamus ita: [π]α[ρ]ὰ Ἱ[π]πάρ[χου τ]οῦ Σ[ωτ]ίμου ἀπελ(ευθέρου) (δηνάρια) κβ<′.

His Larisaeorum fastis Metropolitas et ipsos usos esse eo concludimus, quod in huius urbis titulis eadem mensium nomina extant. Ut in n. 277 communis ordo perturbatus est hoc modo:

Θῦος Ἑρμαῖος Ἰτώνιος Θεμίστιος.

Praeterea ex mensibus titulorum n. 276 a, b, c cognoscimus titulum b ante a esse ponendum, ita ut haec tabula paululum confusa enascatur:

Πάνημος (n. 276 b) *Θεμίστιος Ἀγαγύλιος Ἑρμαῖος Ἀπολλώνιος* (n. 276 a) *Ὁ[μ]ο[λῷος]* (n. 276 c 6).[2])

Denique n. 279 praebet tres menses, sed cum lapis a sinistra parte fracta sit, de emendatione ambigitur.

At non solum Metropolis, sed etiam aliae Thessaliae urbes hoc commune calendarium adhibuerunt. Cyretiis haec nomina occurrunt: *Ἀγαγύλιος Ἀπολλώνιος Λεσχανόριος Ἄφριος Ὁμολῷος*,[3]) unde colligimus hanc urbem volgaribus mensibus uti solere. Idem Aeginii factum est, cum tituli *Ἄφριον Ἑρμαῖον Ἱπποδρόμιον*[4]) praebent. Neque aliter de Cierii calendario iudicandum est, quamquam solus mensis *Ἰτώνιος* (n. 259, 5) invenitur. Sed cum in n. 261 mensis *Θῦος* ita inducatur, ut ad utrumque oppidum Cierium et Metropolim pertinere concludamus, Cierii communes fastos in usu fuisse apertum est.

---

[1]) Cf. Corr. ad IG. IX 2 n. 1344, 12.

[2]) Iam in prioribus versibus num nomina mensium exarata sint, propter tituli mutilationem incertum est.

[3]) Cf. n. 340 b 4; 343, 4; 340 a 3; 341, 3; 349 c 4; 349 b 4; 342, 2.

[4]) Cf. n. 323, 1; 324 b 2; 325 b 7; 325 b 8; in tituli n. 326 versu 2 utrum mensis an homo lateat, incertum est.

Alias quoque urbes veluti Pheras, Phayttum, Pharsalum hos menses usurpavisse suspicari possumus, etiamsi propter perpaucos titulorum locos hoc ad liquidum perduci nequit.

Porro in Perrhaeborum fastos quaeso inquiramus. E titulo Corcyraeo (IG. IX 1, 689) Bischoff conclusit Perrhaebis non eosdem menses fuisse quos Thessalis. In hoc enim titulo Perrhaebis ac Thessalis singulares et praetores et menses sunt; nam haec leguntur: *[στραταγο]ῦντος Θεσσαλῶν [μὲν Ἱππο-]λόχου τοῦ Ἀλεξίππου [τὸ δεύτ]ερον Λαρισαίου, μηνὸς [καθὼς Θε]σσαλοὶ ἄγοντι Θεμιστίου [ἁμέρ]αι τριακάδι, Περραιβῶν δὲ στρα[ταγο]ῦντος Δημητρίου τοῦ Δημαινέ[του Γ]οννέως, μηνὸς καθὼς Περραιβοὶ [ἄγον]τι Δίου κτλ.*

Cum hic titulus paulo post a. 178 a. Chr. n.[1]) insculptus sit, his temporibus Perrhaebos singulari foedere usos esse elucet, qua de causa singulares et praetores et menses nominantur. Praeterea apertum est Gonnenses *τοῦ κοινοῦ Περραιβῶν* fuisse.[2]) Sed postquam Perrhaebi Thessalorum foedus inierunt, simul eorum calendarium receperunt; quod probatur omnibus titulis apud Perrhaebos extantibus, cum posteriore tempore exarati sint. In n. 1232 habemus hanc mensium tabulam: *Ὁμολῷος Ἱπποδρόμιος Φυλλικός Ἱτώνιος* atque n. 1042 I hos praebet: *Πάνημος Ἀγαγύλιος Ἄφριος Ἱπποδρόμιος.* Praeterea obveniunt *Ἀπολλώνιος Ἑρμαῖος.*[3]) Denique *Θεμίστιος*, qui secundum titulum Corcyraeum eundem locum tenet quem Perrhaeborum *Δῖος*, in n. 1042, 22 invenitur, quod mirum esset, si negaremus Perrhaebis recentiore aetate idem calendarium fuisse ac Thessalis. *Θῦος* solus deest.

Iam quaerendum est, quid mensis *Ὑπεροῖος* sibi velit. Qui in duobus titulis occurrit, nam in tituli n. 258 versu 5 Fougères cognovit *ΙΥΓΕΙΟ,* Kern legit *ΙΥΓΓΙΟ,* Hiller *ΙΥΓΓΙΟ,* qua de causa hic *Ἰυγγίο[υ]* emendare conatus est, quod nomen tamen dubitationem movet.[4]) Quoniam in Perrhaeborum titulo

---

[1]) Cf. Kroog l. l. p. 16 et 18.

[2]) Cf. Kroog l. l. p. 30 sq.

[3]) Cf. Hilleri indicem ad IG. IX 2.

[4]) Ectypo denuo examinato, quamquam certi solum e lapide ipso statui posse haud negaverim, Hilleri lectionem confirmare possum, praesertim cum in versus fine sinistra litterae *Y* hasta adesse videatur.

n. 1281 *μηνὸς Ὑπερoίου ἐμβολίμου* legitur, etiam illo loco *Ὑπεροῖον* emendari posse verisimile est. Praeterea in tituli Metropolitani n. 279 versibus 6 et 9 eandem medelam proponimus, cum in sinistra parte 10 fere litterae desiderari videantur. Iam recordamur nonnullorum locorum, ubi solus *μὴν ἐμβόλιμος* extat.[1]) Itaque mensem *Ὑπεροῖον* primitus idem valuisse ac mensem intercalarem crediderim;[2]) postea autem proprio sensu neglecto verbum *ἐμβόλιμος* additur, ita ut tribus diversis significationibus eiusdem mensis Thessali uti soleant.

Sed hos communes fastos non omnes Thessaliae urbes receperunt, quamquam in eodem foedere versabantur. Hoc sine dubio mirum esse videtur deliberantibus, quanta commoda praecipue ad res et administrationes domesticas pertinentia ex eo efficiantur.

Lamienses singularibus fastis usi sunt, quod his titulis probatur: n. 71 v. 3 *Βώμιος*; v. 5 *Χρυτταῖος*; v. 12 *Ἰτώνιος*. N. 72 in altero latere eiusdem lapidis insculptus hos habet menses: *Βώμιος Ἄρεος, Χρυτταῖος Ἱπποδρόμιος Γ*[*ενσ*]*τός Πάναμος*; n. 77 in altero latere inscriptus praebet hos in versibus 2. 3. 4: *Ἄρεος Πάναμος Ἰτώνιος*.

Cum tituli n. 73 versus 5—9 et 11—17 tam mutili sint, ut non multum legi possit, *Βώμιος* et *Γενστός* soli certae sedis sunt; praeterea in versu 10 *Ἱπποδρόμιος* adest.

N. 74, 75, 76 in tribus partibus eiusdem lapidis inscripti deinceps sequuntur; nam solo in priore titulo tempus significatum est atque in tituli n. 75 fine mensis *Ἱπποδρόμιος* extat, qui etiam in n. 76 invenitur. Itaque hic mensium ordo adest: n. 74 *Θριξάλλιος*; n. 75 initio mensis quidam deest, deinde sequuntur *Γενστός Λύκεος Ἱπποδρόμιος*. In tituli n. 76 versibus 2 4 6 10 nomina mensium desiderantur; cum autem in versu 8 *Ἱπποδρόμιος* lectus

---

Itaque mensis *Ἴυγγιος* ad illud anni tempus spectare videtur, quo *ὁ ἴυγξ ἰύζει*. Quae si ita sunt, hunc mensem ad singulares Cierii fastos, non ad commune calendarium pertinere conicimus. Postea autem Thessalorum mensibus Cierienses usi sunt (cf. p. 125).

[1]) Cf. n. 1042, 16; 1295, 33; Bull. Hell. XXV (1901) 350, 24.

[2]) Verisimilius esse videtur verbum a dea quadam *Ὑπερώ* derivatum esse; sed cum dea huius nominis aut cognominis ignota sit, nihil certi scimus.

sit, in prioribus eundem exaratum esse verisimile est. Sed de versu 10 nihil certi assequimur; in versibus 12 et 14 extant *Ἀπελλαῖος* et [*Θεμίσ*]*τιος* ex Hilleri emendatione.

Quodcum n. 78, ubi mensis *Ἀπολλώνιος*[1]) adest, propter hunc mensem et propter diversas formulas non ad Lamiam spectet, Lamiae menses nescio an ita sequi videantur:

Βώμιος	*Γενστός*	*Πάναμος*
Ἄρεος	*Λύκεος*	*Ἰτώνιος*
Χρυτταῖος	*Ἱπποδρόμιος*	*Ἀπελλαῖος*
Θριξάλλιος	*Θῦος* (n. 69, 4)?	*Θεμίστιος*[2])

Urbis Hali calendarium ex titulo n. 109 facile ita colligimus:

Ἁδρόμιος	*Γενέτιος*	*Ὁμολώιος*
Εὐώνιος	*Μεγαλάρτιος*	*Θυῖος*
Πυθοῖος	*Θεμίστιος*	*Γενέτιος*
Ἁγναῖος	*Δέματρος*	*ἐμβόλιμος*
Διονύσιος	*Ἑκατόμβιος*	

Cum hi fasti pleni sint, titulus n. 111, ubi *Ἱπποδρόμιος* mensis invenitur, huic urbi alienus est (cf. Corr. ad n. 111).

Iam de Meliteae fastis agendum est. Quamquam huius urbis tituli n. 206 et 207 certam seriem non admittunt, tamen aliquid novi proferre possumus, quo plenum ordinem assequamur.

Ex n. 206 Ib enascitur hic ordo:

Θυῖος (v. 8 et 10) *Τράγιος* (v. 15) *Βουτράγιος* (v. 19) *Ἀπο*[*λλώνιος*] (v. 22) *Ἁδ*[*ρόμιος*] (v. 25).

In n. 206 IIb haec series adest:

Ἀγριώνιος (v. 7) *Θυῖος* (v. 15 et 19) *Γεν*[*έτιος*] (v. 26).

Praeterea occurrunt *Ὁμολόϊος* (n. 206 Ia et 206 IIIb) *Λεσχανόριος* (n. 206 IIa cf. Corr. et 207c 8) *Ἄφριος* (n. 206 IIIc) *Ἰτώνιος* (n. 206 IIId).

---

[1]) Cf. p. 80 sq.

[2]) In tituli 66b versu 2 hic mensis sine dubio extat; nam cum in versu primo melius emendandum sit [*στρατηγοῦντος τῶν Θεσσαλῶν Ἀμυν*]*έα*, quod genus dicendi in Lamiae titulis volgare est, lacuna versus 2 sufficit ad nomina praefectorum eorumque patrum atque verba [*μηνὸς*] *Θεμιστίου* supplenda. Cf. etiam Kroog l. l. p. 23, qui recte [*Ἀμυν*]*έα* emendavit.

In n. 207 e 10 ectypon praebet: [*Ἑρ*]*μαίου*, atque in SGDI. 2138, 2 extat *Πυθοῖος* i. q. Delphorum *Ποιτρόπιος*.

Quae si ita sunt, haud scio an hoc mensium stemma efficiatur:

Ἀγριώνιος	*Βουτράγιος*	*Ἀπο*[*λλώνιος*]
Θυῖος	*Πυθοῖος*?	[*Ἑρ*]*μαῖος*
Ὁμολῷος?	*Λεσχανόριος*?	*Ἀδ*[*ρόμιος*]
Τράγιος	*Ἄφριος*	*Γεν*[*έτιος*]

De ceterorum oppidorum fastis agere supervacaneum est, cum perpauca tantum mensium nomina nota sint (cf. Hilleri ind. ad IG. IX 1).

Epimetrum.




Fig. I.




Fig. II.

I. Haec duo monumenta aenea primum a I. N. Giannopulo in additamento quodam *τοῦ Δελτίου τῆς Ὄθρυος*[1]) publici iuris facta ex Kernii apographis nobis licet hoc loco melius edere. Cum Giannopulus in tertio versu figurae n. I *KB*< legisset, Kern in eam sententiam delatus est, ut hoc instrumentum collo annexum a libertis portaretur. Nunciam hoc in irritum cadit, cum Kernii apographon recte se habere e litteris a Giannopulo nuperrime ad me datis constet. At quaerendum est, quid sibi velit. Ad Romanorum aetatem haud dubie spectat atque fortasse primo p. Chr. n. saeculo exarata esse videtur propter litteraturam atque propter significationem denarii ✳. In

---

[1]) Cf. *Δελτίον τῆς Ὄθρυος Τεῦχος Α' ἐν Βώλωι* 1899 p. 12 et additamentum Giannopuli.

prioribus versibus numeros quosdam extare eo concludimus, quod litterae linea transversa significatae sunt. Sed quo spectent hi numeri, valde obscurum est; hi adsunt:

305	6
1	24

quos ad rationem quandam adhuc in latebris iacentem pertinere suspicamur. Atque in fine (*δηνάρια*) *ιβ'* obveniunt; an hoc monumentum deo quodam dedicatum est?

II. Alterum monumentum certe pondus existimandum est repertum in parietinis Larisae Cremastae.[1] Pondera ex aere facta raro occurrunt, maximam partem plumbea sunt.[2] Imagine expressa est amphora dimidiata, qua de causa pondus[3] Atticum videtur esse. Inscriptionem ita supplemus: Ͱ Δ / Μ Ο, quae [*δημό(σιον)*] ad quintum a. Chr. n. saeculum spectat. In aliis ponderibus litterae modo ita ordinatae sunt: Ͱ Δ / Ο Μ (cf. Pernice l. l. n. 32. 50. 51. 58), modo illa forma, quae in pondere Larisaeo extat, adest (cf. Pernice l. l. n. 54. 66. 69). Quodcum ignotum sit, quid ponderis habeat, utrum *ἡμίτριτον* an *τέταρτον* sit (cf. Pernice l. l. p. 32 sqq.), dubium est.

---

[1]) Ex collectione *τῆς ἑταιρίας φιλαρχαίου Ὄθρυος*, donum *τοῦ Εὐαγγέλου Βαρβαρέζου* cf. *Δελτίον τῆς Ὄθρυος τεῦχος Α'* 1899, p. 8 n. 12.

[2]) Cf. Schillbach, Annali dell' Instituto XXXVII, Romae 1865, p. 163 et E. Pernice, Griech. Gewichte, Berolini 1894, p. 5.

[3]) Cf. Pernice l. l. 14 sqq.

Vita.

Natus sum Gualterus Rensch a. d. VI Id. Aug. anni LXXXIV saec. praet. Rostochii patre Henrico matre Guilelma de gente Jahnke, quos adhuc superstites esse gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primordiis imbutus gymnasium adii Rostochiense. Vere anni III huius saec. maturitatis testimonium adeptus Rostochii per ter sex menses studiis me dedi philologicis et historicis, quae Berolini per tria semestria continuavi. Iam redux in patriam universitatis Megalopolitanae denuo per bis sex menses civis fui. Deinde Ottonem Kernium praeceptorem meum secutus Halas Saxonum me contuli, ubi vere anni VII h. s. civibus universitatis adscriptus sum.

Docuerunt me viri clarissimi Rostochienses: Bloch, Erhardt, Golther, Kalbfleisch (nunc Marpurgensis), Kern (nunc Halensis), Kolbe, G. Koerte (nunc Gottingensis), Lueders, Plasberg. — Berolinenses: Diels, O. Hintze, O. Hirschfeld, C. F. Lehmann, Ed. Meyer, G. Schulze, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff. — Halenses: Busse †, Kern, Niese, Philippson, Robert, Wissowa.

Proseminarii philologici Rostochiensis per quater sex menses sodalis extraordinarius fui, per unum semestre ordinarius, seminarii philologici Berolinensis Vahleno moderante per sex menses sodalis extraordinarius, per bis sex menses ordinarius fui. Exercitationibus historicis ut interessem, permiserunt vv. dd. Bloch, Hirschfeld, Kern, Kolbe, archaeologicis G. Koerte. Omnibus praeceptoribus meis gratiam semper habebo quam maximam, imprimis vero Ottoni Kern, qui non modo artis epigraphicae elementis me imbuit, sed etiam in hoc opusculo conficiendo summa cum liberalitate me adiuvit.